

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 189

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [3] - -
PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

GEORGII CALIXTI

S. Theologiæ D. & in Acad. Juliá Profeſſ. Prim.
Venerabilis
REGIÆ LUTTERÆ ABBATIS
DE

TOLERANTIA REFORMATORUM

Circa Quæſtiones inter ipſos & Auguſtanam Confeſſionem profeſſos controverſas

CONSULTATIO.

Præmiſſa eſt

D. FRIDERICI VLRICI G. F. CALIXTI

Paterna in Officia ſucceſſoris, Ejusdemque innocentiæ vindicis,
Mutuæ Chriſtianorum, in S. Rom. Imperio publico & libero Religionis exercitio gaudentium,
citra omnem

Religionum Miſcellam

TOLERANTIÆ

PRESSIOR DECLARATIO.

Hanc excipit
Utriusque CALIXTI ſcriptorum

CATALOGUS.

(o)

HELMSTADII SAXONUM
Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.
Anno M DC XCVII.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [5] - -
PUBLIC DOMAIN

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

SVMME REVERENDO ET EXCEL-
LENTISSIMO VIRO
DOMINO
GERHARDO
Liberi & Imperialis Cœnobii
LUCCENSIS ABBATI
Ecclesiarum & totius cleri in Electoratu Brunsvi-
censi & Luneburg.
DIRECTORI SUPREMO
Consiliario Ecclesiastico & Provinciali, Statuumque
Ducatus Calenbergici
PRIMATI
Domino Fautori & Amico suo
Veteri & integerrimo
S. D.
REGIÆ LUTTERÆ ABBAS
D. FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS
Acad. Juliæ Senior & Professor emeritus, Consil.
Eccles. Guelphicus.

QUi in eruditi orbis conspectum scriptorum aliquid deducunt, inscriptione illud commendare consveverunt non aliis, quàm Viris quos ab argumento quod tractant & excutiunt, animo non alieno sed in illud

propenſo eſſe norunt. Illud autem quod præſens chartarum exhibet faſciculus, quamvis densâ averſantium, acerbè exagitantium & malignè inſectantium prematur atque ſaltem non obruatur multitudine, ſunt tamen etiam alii, numero fortè plures quàm è turbulentorum re eſt vel commodo, qui pia vota & deſideria ſeriò probant & pro merito æſtimant. Hos inter, Te venerabilis Dn. Abbas, familiam ducere ſi dixero, verba ſimillima veris dixiſſe mihi videbor. Cor lapideum eſſe oportet, quod adacta intra viſcera Eccleſiæ vulnera, non vulneret. Quod autem illis medendis medicam manum oppidò pauci applicant, illorum tribuendum vehementiæ, qui diſtributis inter pacificos præmiis improbis, ad participandum haud quenquam ullis deſideriorum ſtimulis angunt. Attamen cedit in paſſorum indigna efficax ſolatium, quod in filiorum Dei conſortium adſcitorum, futura eſt merces multa in cœlis. Tuum verò, Ampliſſime Domine Abbas, flagrans Eccleſiæ tranquillitati conſulendi deſiderium ſtudiumque, in diſcrimen vocare ſi præſumſerim, Te totum mutatum ab illo, quem olim fuiſſe fallere neſcia comprobarunt documenta, mihi foret ſtatuendum.

Apage verò diffidentiam, Virum propoſiti conſtantiſſimum, fluctuantis animi inconſtantiæ arguentem!

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

tem! Ego potius virtuti constantiæque Tuæ ferocius confisus, illas quas fero merces, non alibi quàm è Tui regione fori, venum exponendas duxi, quod ibi emptorem inventurum scirem. Sed ignorare Te nolim, ex illorum mercatorum me prodiisse familiâ, qui non sub lucrantis Mercurii signo militant, sed quod gratis acceperunt, gratis reddunt. Abundans tamen lucrum feciisse mihi videbor, ubi rescivero, qualescunque meas merces, eo haberi loco, quo habentur, haberi certè debent, pia, dubii quamvis eventus, vota. Intra *Voti* enim, *Desiderii* & *Studii* terminos, tota ista miserè lancinata res hactenus substitit.

Consueverunt quidem mercatores, merces suas, prius quàm de precio cum emptoribus paciscantur, prolixè commendare: ast Paterna, quam nunc venundo, de *Reformatorum Tolerantiâ Consultatio*, meâ non magis indiget commendatione, quàm *vino vendibili opus est hederâ*. Sicut verò præeuntis vestigia, ego passibus haud æquis lego, ita illa quæ ad sublimioris indaginis, diuturnâ experientiâ subacto consilio, & acri judicio elaboratum scriptum sum commentatus, non eam sapere maturitatem quâ abundat illud, lubens agnosco & ingenuè fateor. Interim utraque junctim in diam prodeunt lucem, multorum subitura censuram. Hanc facturi sunt sicut censorum

quisque vel præjudiciis est occupatus odioque repletus, vel amore adfectus. De Tuo, Amicorum integerrime, prono in me meaque studia affectu, non sine insigni in Te injuriâ, dubitare fas mihi est. Ecquis enim crediderit quod ab illo usque tempore, quo in Illustri Juliâ, Musis Tuis meum domicilium gratum præbuit hospitium, mutuus decreverit favor, nec potiùs, interea dum ampliora quàm quadraginta annorum confecit spacia, robur acquisiverit validius? De splendidi igitur Tui in me affectus constantiâ, audacter mihi promiserim, quod & lectorem tàm mihi ipsi quàm causæ susceptæ faventem, veniamque sicubi acu fortè rem non tetigerim, apud Te inventurus sim mihi paratam. Et quod amplius est, tanta abundaverim titubante quamvis audaciâ, ut etiam illos, qui Studium & Desiderium nostrum, oculo aliàs adspexerunt maligno, mitiores benigniores que polliceri mihi ausim; siquidem eam adhibuisse mihi videor modestiæ non expertem moderationem, quæ animos etiam in fermento positos, sedare & expiare valeat. Etenim nemini quicquam præscribo: nullius flagito assensum, suo quemque abundare sensu, non prohibeo: de creando rectiora edoctis præjudicio, sum protestatus & protestor. Si nihil mihi competat amplius, saltem quid æquum; quid justum; quid Divino

mandato

mandato congruum; quid tàm publicæ quàm Ecclesiasticæ rei salutare videatur, declarandi, simul ac incussos scrupulos, sine offensione eximendi, relinquenda mihi fuerit libertas. Quando verò castum studium desideriumque stuprantibus iniquis figmentis, inpactisque commentitiis imputationibus fuit contradicendum, sic est temperata contradictio, ut monstratâ iniquitate detersaque injectarum turpitudine maculârum, contradicentium dignitas, nullo vicissim, in compensationem injuriæ, macularetur opprobrio. Et quidem animo conceptam bonam spem, illorum quorum deverbuisse visa mihi est indignatio, dexteritas & prudentia, tantò roborat fortius, quantò illi vereri possunt minus, exosum pacificationis negotium, præcipitatum iri adminiculante sene decrepito, qui vasa jam colligit, transitumque de turbidi seculi Scenâ, in cœlestem meditatur patriam. Nec adest internecina Christianorum odia terminatus dies, in tàm propinquo, ut si hodie primùm editus essem in lucem, promittere mihi ausim, quod diem illum sim visurus. Verùm enim verò dicturi sunt pacis inimici, quod rebus sic comparatis, inania non fuerint repetenda vota, inania reditura ad voventes. Temperandum fuisse ab iterum ore jactis, anteactorum iniquitatem non abolituris, inveteratis querelis. Sepultam persecutionum

cutionum memoriam, non fuiſſe refodiendam, ſed paſſorum indigna virtutibus, Chriſtianæ cum primis patientiæ involutam, ſic fuiſſe ſupprimendam, ne quisquam præteritarum reminiſcendo recordaretur ærumnarum. Attendo equidem moratæ iſti orationi cum patientia; quippè quem non fugit, quæ de patientia inter perſecutiones adhibenda, Divinorum Vatum ora dictitant. Attamen ultra Divinæ gloriæ aram, illa non ſunt porrigenda. Quod ſi igitur adusque infamia, Hæreſin olentia crimina, proceſſerit accuſatio, etiam Chriſtianis, omnibus aliis rebus potior eſſe debet famæ cura, quam ſi neglexerint, crudeles fuerint in ſemet ipſos. Indulta igitur his quoque famam tuendi libertas, cum ignominiosâ bonum nomen peſſundatura ſervitute, non eſt commutanda: non eſt deſerendum juſtæ defenſionis præſidium, quo adverſus violentos famæ latrones, Chriſtianorum munita eſt exiſtimatio. Juſtâ jure naturæ licitâ defenſione utendi, æquâ omnibus eſt poteſtas, tunc in urgentem verſa neceſſitatem, quando vel dudum condonatæ, diſſimulatæ potiùs quàm publicâ voce vindicatæ injuriæ, iteratis, re quaſi benè geſtâ, renovantur typis; vel novi proſiliunt Hiſtorici, qui ejus quod & recta ratio dictat, & inſuper Auguſtana noſtra Confeſſio diſertis pronunciat verbis,

E vulgi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

E vulgi nempè *rumoribus, aut maledictis* INIMICORUM, *veritatem colligi nec posse* nec debere, obliti, B. D. Calixti res candidè, ingenuè tanquam coram Dei facie, in totius Ecclesiæ conspectu gestas, ex apertissimorum viri inimicorum hostiumque, quorum odiis expositus fuit & objectus, testimoniis deducunt. Istius Confessionis, primarii pone cardinalia, Lutheranorum Symboli, effati memor si fuisset, *Andreas Carolus*, in Ducatu Wirtembergico San-Georgianus Abbas, ad DD. Joh. Hülsemanni, Abrahami Calovii, Hieron. Kromajeri, & salvâ veniâ Hartnakii, complicumque hostilia testimonia, utpote non ullam adversus Calixtum meritura fidem, toties quoties malignè injecta viri mentio, unicè non provocasset non appellasset. Innotuit mihi demum vir iste, per ejus *Memorabilia Ecclesiastica, Seculi à nato Christo XVII*, hoc ipso qui nunc sui dimidiũ superavit anno edita, atq; mihi eopse quo hæc scribo momento oblata. Inspiciens volumen illud, ejus Auctorem totum in eo esse animadverto, ut passim & nulla non arrepta occasione, niveum pii viri pectus, atro denigret carbone. Sed idem agere mihi est visus, quod ille qui B. Lutherum per ejus συγχρόνους & acerrimi adversarii Johannis Eccii, vel B. Chemnitium nostrum, per Bellarmini, Svaresii, maledicive Becani suffragia & encomia, ad

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [13] - -
PUBLIC DOMAIN

vivum delineare & repræſentare præſumſerit. Illud autem plus quàm putidum & pudendum eſt, quod tàm ſpectatæ exiſtimationis viris, *Duræ Cervicis* deſperatæ malitiæ, falſi criminum toties convictum Pſeudo-Hiſtoricum, aſſociare non eſt puditum. Ex ſocio enim comites ſi æſtimare fas fuerit, quid de ſpectabili iſta ſocietate futurum? In aſſociando tamen præcipitantiæ veniam, apud me quidē inventurus eſt promtiorem, quàm apud illos qui aſſociatos ceu Numina colunt. Quàm verò præcipitanter & inconſideratè rem geſſerit, proditurū eſt inſigne aliquod inde evenientis lapſus documentum. Nempè Memorabilium ejus Lib. III, cap V, inter plura alià, etiam *D. Balthaſaris Menzeri* Giſenſis Theologi, genero ſuo B. Dn. D. Wideburgio Aulæ Guelphicæ Concionatori primario, inſcriptam Epiſtolam, quâ D. Calixti Epitomes Theologicæ aliqua, Rhamiſticâ Philoſophiâ corruptū judicium tranſcendentia dogmata, improbare fruſtra eſt conatus, ceu luculentæ ſapientiæ myſteria, iterum protraxit in lucem. Remittit autē ibi Lectorem ad D. Hülſemanni maledicæ Dialyſeos Præfationem, & Hartnakii Continuationem Hiſt. Eccleſ. Micrælii. Aut igitur ignoraſſe eum oportet, quid Menzerianæ iſti Epiſtolæ B. Parens meus ſcripto vernaculo, quod ſub inſcriptione **Wiederlegung D. Wellers Verleumdungen** prodiit, §. 130 oppoſuit, nec vidiſſe ejusdem malè conſultæ

rapſodiæ,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [14] - -
PUBLIC DOMAIN

rapſodiæ, continuam ne ullo præterito deformis iſtius ſtructuræ articulo, meam anatomen; aut ſi non ignoravit ſed utraq; Apologetica ſcripta vidit & legit, datâ operâ (ut exoletam renovaret atq; ſecundum Hiſtorici munus ad poſteritatē propagaret, calumniam) diſſimulaſſe. Mea eo facientia, leguntur ad L. Adami Rechenbergii Eclipſes, Epimetri Parte alterâ, quâ inſulſus & agreſtis Hiſtoriæ Johannis Micrælii quidam isq; Duræ Cervicis Continuator, pro merito caſtigatur. Sed quū & Menzerianæ Epiſtolæ, & aliis in pium Virum paſſim per *Memorabilium* volumen detortis commentitiis accuſationibus, tali jam dudum ſint contriti, nunc actum agere nolo; ſiquidem operam quâ plus vice ſimplici ſum defunctus, denuo ſubire, nec vacat nec hujus eſt loci. Refricabo ſaltem probo Hiſtorico incumbentium Legum memoriam. Conſignatas illas reliquit, Oratorum hujus ſeculi Princeps, B. Auguſtus Buchnerus, Programmate quod Anno M DC LV indicendi Jubilei ergo, publico Academiæ Wittebergenſis nomine promulgavit. Gravia Viri, Hiſtoriographis cum primis attendenda verba, ita habent: *Narrare res geſtas, ſine falſi admiſtione, non ad cenſuram vocare, & pronunciare de illis in partem alterutram, proprium maximumq; hiſtorici munus eſt. Si tamen quandoq; pro emolumento Lectoris, eò ipſi tranſeundum eſt, modeſtè & ſobrie & ſalvâ gravitate*

randoreq; id facere debet: ſedulo cavens, ne irriſor argutulus, ne CALUMNIATOR MALIGNUS *appareat.* Utinam iſtorum Buchneri monitorum, & *Hiſtorici muneris* memor & obſervans San-Georgianus Abbas, res à Regiæ Lutteræ Abbate in Eccleſia *geſtas narraturus*, ſine *falſi admiſtione eas narraſſet!* Utinam ibi, ubi judicium proprium interponit, non tàm frigidè & crudè judicaret, quàm ad *cenſendum* arroganter & calidè proſilit! Utinam mendaci Hartnaki linguâ toties non eſſet locutus, nec inter plura alia *Calixtum Programmate Programmati* Scharffiano *oppoſito,* MISSIS REALIBUS, *in neglectam à Scharffio Latinitatem ſarcaſticè invectum eſſe,* temerè affirmaſſet; vel ſi juxta adductos propriæ cauſæ teſtes, Calixti hoſtes apertos, his oppoſitorum ſcriptorum ſimul feciſſet indicium, & auditâ parte utraque, ſuſpenſo proprio judicio, Lectori ſuum reliquiſſet integrum, candidi Hiſtorici expleviſſet munus, durioremque Buchneri cenſuram, à ſe ſuisque *Memorabilibus* eſſet amolitus. Iſtis præſtantior majorisque precii moneta eſt, quæ præcipitantis nunc Seculi, eopſe qui volvitur anno XCVII, in celeberrimâ Jenenſi Academia eſt recuſa. Hujus videlicet beneficio, Dn. *Danielis Severini Sculteti*, viri quem haud vulgaris & eruditio & prudentia commendat, *Iterata Eccleſiæ Reformatæ* INVITATIO, *ad pium in Doctrina Fidei*

Fidei consensum, occasione *Jurianæ Consultationis*, iterum in eruditi orbis redacta est commercium. Nempè Dn. *Petrus Jurius*, in Magni Erasmi Patriâ Doctor Theologus, *Ecclesiasticam Pacem* inter Protestantes *Particularem* molitus, idem quod Dn. *Pufendorffius*, saxum volvit. Adjutricem manum modo laudatus Dn. Scultetus applicavit, in operæ consortium adscito B. Dn. D. *Johanne Guilielmo Bajero*. Hujus exquisitæ eruditionis viri, beata, ipsi quidem haud invidenda, in publicum quamvis damnum cessura analysis, tanto plangenda magis, quanto plus ille superstes, ad cuneum istum fortius torquendum, virium conferre fuisset valiturus. Verùm quantumvis stratam per B. D. Calixtum Parentem meum, viam illi sint ingressi, ulterius tamen quàm ipse horum promachus, protulerunt passus: siquidem illo inter mutuæ Christianæ Tolerantiæ terminos subsistente, hi *Pium in Doctrina Fidei Consensum* talem, qui restaurata Unione, ipsum tollat Schisma, tentare ac moliri sunt ausi. Utrum verò Reformatæ partis Theologi, *Iteratæ Invitationi* locum sint daturi, docebit eventus; de quo equidem tantò dubitaverim minùs, quantò alacriori, Ecclesiasticæ consociationi promovendæ, illi incumbuerunt nisu, quantoq; minùs rupti fraterni fœderis fidem, sublato Schismate redintegrandi desideria dissimulant. Deus

pacis, ſalutares conatus ſecundet, atq; ſuper multorum fidem promoveat, prohibeatque, ne excítus inſanus aliquis ventorum turbo, amicos diſſipet congreſſus. Quod verò adverſus eos qui publicæ conſultum eunt quieti, nulli huc usque inſurrexerunt Pacis Eccleſiaſticæ hoſtes & inimici, miraculi inſtar apud me eſt, cujus ob oculos ſævæ temporum præteritorum verſantur tempeſtates. Ex animo igitur his de majori quàm eorundem obtigit anteceſſoribus, gratulor felicitate, & ut perenni fruantur voveo.

Cæterùm circa ſanctæ Religionis negotia diſſidentium Chriſtianorum mutua Tolerantia, à perfecto in fidei doctrinâ, Schisma delituro conſenſu, tàm procul diſtat, quàm gradus conciliationis infimus abeſt à ſupremo & ſummo. Ad hunc autem haud eſt penetraturus, qui non prius calcaverit imum. In Chriſtiana igitur ſocietate verſans B. Calixtus, ad conciliationem in Schismate viventium, per gradus incedendum duxit. Et quum ad ſummum enitens, huic ſubſtratos tranſilire noluerit, in inferiori tantiſper ſubſtitit, donec irritatæ reciprocisque offenſionibus exacerbatæ mentes, depoſitis odiis, quæ animos è ſtatu ſuo dimovere, & veri cognitionem vehementer impedire conſueverunt, deferbuerint. Atque iſtac agendi ratione, viam aliàs aſperam, ad plenam & perfectam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [18] - -
PUBLIC DOMAIN

fectam conciliationem planiorem mollioreḿq; ſterni exiſtimavit. Ad finem autem iſtum impetrandum & obtinendum, quum controverſorum dogmatum excuſio requiratur, illorum momentis expendendis haud ſegnem locaſſe operam, hæc ipſa (ut tacitè præteream nunc plura alia) quam modo exhibemus, egregium perhibet documentum. Interim non obnitimur illis, qui operæ compendium facturi, rem ipſam aggrediuntur, atque unionem remorantes, Schisma operantes cauſas, amoliri ſatagunt: Divinam potiùs imploramus providentiam, velit illa ad promovendum ſalutare negotium, Sancti ſui Spiritus abundantem gratiam clementer largiri, atque cum magnâ difficultate conjunctos conatus, in Divini ſui nominis gloriam dirigere, diſtractasq; Eccleſias, in ſolidam & indiſſolubilē redigere unionis faciem. Quod ſi verò ambigui opis alea ceciderit in tranſverſum, atq; liberius ab invicē diſſentientes, plenè ſecundum ſingula capita controverſa, conciliari nequeant, (quod tantò metuendum magis, quantò minus ſunt tuta quæ privato, nullâ intercedente auctoritate publicâ, geruntur conſilio) contractæ olim truces inimicitiæ, non fuerint renovandæ, ſed cum Chriſtianâ commutandæ Tolerantiâ; ut ſic ſe invicem tolerent, quemadmodum Thomiſtæ & Scotiſtæ, citra condemnationem ſe invicem tolerant.

ſed tamen et cum communione

rant. In talem igitur, quem Deus benignè avertat; eventum, ad Christianam, recurrendum fuerit Tolerantiam, haud vili redimendam pretio.

Exsultavi equidem, postquam abominatum olim *Ecclesiastica Concordiæ Studium*, Pufendorffium, Jurium, Sculterum, Bajerum, impunè reassumere intellexi: simul in spem erectus amplam, Syncretismos crepantes, atram suam bilem, in solos Calixtos non esse effusuros, sed mihi quoque permissuros, ut his, non ita sicut olim frementibus, mutuatis à B. Dn. D. Bajero verbis, pronunciem: *Ut jam mittamus quæ ad unionem cum Pontificiis spectant; Reformatorum profectò studia in procuranda consociatione Ecclesiastica, sublato Schismate, nec negari possunt, nec prorsus sunt contemnenda, aut sine justa piâq; consideratione potius abjicienda. Quanquam enim tot colloquiis scriptisq;, parum aut nihil hactenus ad veram concordiam effectum, aliquando etiam dissidia, odia, atq; adeò vulnera Ecclesiæ, aucta potius fuisse videantur: attamen non parum refert, ut in foro conscientiæ Deoq; ipsi rationem reddere possimus, non neglecta aut repudiata, sed sollicitâ curâ expensæ occasionis, quæ ad procurandam pacem apparebat, quando pacis ipsius, quantum in nobis est, studiosos nos maximè esse jubet Scriptura θεόπνευ-*

στος. At-

§. Atque iterum post aliqua, non minoris quàm adducta, pretii, addit. *Mihi quidem hactenus semper visum est, si maximè spes obtinendæ confœderationis Ecclesiasticæ non affulgeat; verùm hujus scopi intuitu, oleum atq; opera peritura videantur, non tamen alto supercilio* CONTEMNENDA ESSE OMNIA PACIS CONSILIA, *aut austero gestu & contumelioso sermone, repellendos prorsus, qui de negotio Unionis, curas suas cogitationesq; exponunt.* Ista Bajerus, quæ non possum non probare. Sicut autem unius ejusdemq; voti consiliive, plures possunt esse fines pluresque effectus, ita quandoque contingit, ut qui intento primario excidunt, obtineant secundarium, certo respectu egregiè profuturum. Quibus igitur ista B. Bajeri, non displicent, displicere etiam haud poterunt illa, quæ ego commentariorum meorum §. 32 scripsi. Et quæ in illo tolerant, in me quoque, nisi mihi, præter meritum, iniquiores quàm illi esse velint, sunt toleraturi. Dixi autem ibi: *Indulgeamus tantisper, etiam illud, quod expectatio ista* (nempè & consiliorum pacis & votorum effectus) *sit frustranea; non tamen seria è pectore pacem anhelante manantia vota, omni salutari frustrabuntur effectu. Obtinebunt certè alium, principali & primario quamvis non æquiparandum, secundarium tamen, voven-*

):( ):( ):(

tibus

tibus insigniter profuturum. Etenim obstinatorum pertinaciter resistentium improba solertia, in horum peccati consortium, sic voventes non ita est tractura, ut cum iisdem in operati Schismatis culpam abripiantur. A quo crimine quisquis se præstare immunem desiderat, sibi caveat ne discordiæ semina spargat, ne obstaculorum machinas struat, prohibituras ne fractæ in naufragio tabulæ colligantur, neve ad navis, quâ Ecclesia vehitur, compagem reducantur. Certè qui in id incumbunt, operati Schismatis reatum, de cervice non sunt amolituri. Ex adverso, qui studiis contrariis operantur, & in conscientiæ & Divino foro excusati habebuntur; siquidem nullum fovendo Schismati alimentum ministraverint, nulla tollendo objecerint impedimenta, objecta amoliri, quantum in ipsis quidem fuerit, allaboraverint.

Sed ad finem est properandum, ne prolixa oratio, cujus compendium lectionis tædia levare debebat, nauseam adducat. Desino igitur in æquam pariter ac justam declarationem: quod ad præterita, non sine apertâ injuriâ violenter in nos detorta, sepultis nunc tortoribus istis, perpetuâ sepeliendum oblivione, promptum paratumque me sim præbiturus. Hâc tamen lege & conditione, ne fastiditam cramben

recoquant

recoquant, ructatasque injurias, iterum evomant illi, qui quisquilias, quas (siquidem harum auctorum memoriæ & honori consultum velint) tegere potius & occultare, quàm præla illis recudendis fatigare debebant. Quò usque verò intolerabiles, Hæresis stigma inurentes accusationes, vel de tractis intolerantiæ consortium, cùm Socinianis tùm Remonstrantibus, vel plures alias, abundanter contritas calumnias, quocunque modo repetere & renovare, glutinatique vulneris cicatricem, datâ operâ refricare non sunt desituri, eò etiam usque nostra non est desitura contradictio. Desinere certè etiam post suprema mea, jam appropinquantia fata, non poterit; siquidem haud immemor officii posteritas, piorum in Domino quiescentium, nunquam non præclarè meritorum famæ & existimationis, non minorem quàm propriæ, habitura est rationem.

Tu verò Amplissime Dn. Abbas, haud indignè feres, quod coram Te, non secus ac si in Te directa sit Protestatio, sic perorare non sum veritus. Certè in Tuo conspectu ita me gerere, tantò veritus sum minus, quantò amici cum inimicis sunt certiores, istorum, adversus quæ interposui protestationem, nihil, Te inducturum in animum. Decenter igitur rogatum Te venio, velis

 causæ,

cauſæ, quam ago, & Tuo orbisque cultioris universi maturo ſubmitto judicio, talem qualis semper fuisti, i. e. faventem imò Patronum Te præstare, simul ac me ipsum, loco quocumque velis, saltem non extra amicorum atque συνεργῶν Tuorum numerum ponere, ne dedigneris. DEVS ter optimus maximus, vitæ mortisq; arbiter, Summè Reverendam Tuam Dignitatem, incolumem sospitet servetque quàm diutissimè, nec prius quàm vitæ honorumque fueris pertæsus, Ecclesiarum quem dirigis clavum, digno tanti muneris successori relinquendi imponat necesitatem! Scribebam in Academiâ Juliâ, cui Helmstadium Saxonum præbet hospitium,

Mense Augusto anni MDC XCVII.

Errata.

§. 2 linea 8. pro est Paterna ista, deletis *est* & *ista*, lege *Paterna Consultatio*: & linea sequente, post verba; liberalitate sinistra, inserendum est, ibi omissum verbum, *incidit*.
§. 3 lin. 21, pro contestationem, deleta lit. *m*, lege *contestatione*.
§. 24 lin. 26 pro pacis, lege *passis*.
§. 31 lin. 15 pro *oic* lege *oîc*.
§. 43 lin. 7 pro confractus, lege *anfractus*.
§. 63 lin. 21 pro flegmata, lege *phlegmata*.
§. 65 lin. pen-ultima, pro communicatio, lege *communicato*.
§. 69 lin. 8 pro confactus, lege *anfractus*.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [24] - -
PUBLIC DOMAIN

FRID. ULRICO CALIXTO

Venerabili Regiæ Luteræ Abbati, Conſiliario Eccleſiaſtico Guelphico, Academiæ Juliæ Seniori, & Profeſſori ſumma cum laude emerito,

JOH. FABRICIUS

S. P.

INgredienti mihi illuſtrem Univerſitatem Juliam, inter alia læta etiam hoc narratur, ſub manibus te habere, Abbas venerabilis, novam paterni, ejusque præſtantiſſimi ſcripti, editionem. Cui quidem, inter alios, carmine applaudere, atque ita voluptatem, quam inde capio ſingularem, demonſtrare vellem, ſi ſalvo honore ac veritatis ſtudio id liceret: poſtquam enim ante hos XX. annos admotus fui profeſſioni theologicæ in Academia Altorfina, ſimile officium deprecatus ſum, hac addita

 ratione

ratione, me per omnem vitam abſtenturum a condendis verſibus. Itaque, niſi mendacii notam incurrere velim, propoſitum iſthoc mihi tenendum etiam heic eſt, nec revocandum ſemel emiſſum verbum. Interea, ne plane ἀσύμβολος eſſe videar, Vir excellentiſſime, hoc ad te epiſtolium exarare, atque ita meam erga te obſervantiam prolixiore affectu, quam ſermone, teſtari lubet. Gratulor nimirum piis beati Parentis tui Manibus, quod eximius ejus liber *de Tolerantia Reformatorum*, qui moderatis æque ac doctis ingeniis ſemper placuit & probatus fuit, iterum lucem adſpiciat, atque in dias luminis auras emittatur. Gratulor tibi, quod per Dei gratiam tranquilla liceat frui ſenecta, qua, etiam in ſtatu emeriti de ſtudiis theologicis bene poſſis ac velis mereri, & præclarum tractatum doctiſſima graviſſimaque diſſertatione non minus ornare, quam augere. Gratulor etiam mihi, quod, qui te olim doctorem ac præceptorē, nunc collegam habeam, atq;

atq; adeo in intima favoris & amoris tui penetralia admissus sim. Et sicuti nullum est dubium, quin ille mihi sit futurus perpetuus, ita vitæ meæ stamen prius abscindetur, quam fidem, cultum, & officiorum promtitudinem in me jure meritoque desiderare queas. Vale. Scrib.

a. d. xx. Julii, A. M DC XCVII.

In B. GEORGI CALIXTI

Desiderium & Studium concordiæ ecclesiasticæ hujusque paragraphum vigesimum quintum iterata editione curatum

à

Venerabili Viro

FRID. VLRICO CALIXTO

Pii Parentis sui, raro admodum exemplo, in professione, omnibusque reliquis officiis successore.

BEllo salus est nulla: pacem poscimus
Paci studemus anxio molimine.
Et nauseamus cassides, hastas, jubas,

Acinaces

Acinaces tepente potos sanguine:
Et spiculorum densa tollatur seges,
Ac ejus in locum sacræ propullulent
Frondes olivæ! Totus Alcyonia
Anhelat orbis; fessus arma rejicit.
Sic est: furenti Mulciber protervia
Satis diu vastavit agros Tentonum,
Satis diu nudavit omnes omnibus
Terras bonis: quid bella possint, discimus
Et experimur sorte lacrymabili.
Sed qualis eheu! quanta pertinacia!
Ecclesiam periculosioribus
Jam languidam bellis magis lacessere.
Hem, quid juvat, si tutus agros vomere
Vertat Menalcas; & peius lætâ super
In pace lascivire possit pascuâ?
Si non quieto sancta verbi semina
In pacis otio fidelium queat
Mandare pastor mentibus? discordiæ
Ventis, inaniumque crebro litium
Et jurgiorum præpeditus turbine.
Maniplus ille, grex Dei, grex parvulus,
Marcescit indies, adaugeri nequit;
Nam sacra bella, sepimentis noxia,

Stratam

Stratam rapacibus viam pandunt lupis.
Damnum niſi reſarciat *Concordia*,
Qua parva creſcunt, magna dilabi ſolent.
Hinc digna pectus cura coxit optimi
GEORGII, quo litium zizania
Tandem revulſa, grex eodem pabulo
Poſſet frui. Fugantur his *Georgicis*
Omnes pruinæ, grandines & fulmina,
Et cum procellis imbribusque nubila.
Vultu ſereniore ridet undique
Cœlum: *cruenti tranſeunt in pinguia*
Enſes aratras falce curva lanceæ
Mutantur: Aureum rediret ſeculum.
Non hiſce ſi *Georgicis Æneida*
Præponeret mundus, reducens Ilii
Triſtes ruinas in theatrum eccleſiæ.
Externa vis eluditur; ſtat in foro
Nocens caballus, geſtat intra viſcera
Hoſtes timendos Troja: *quam non Tartari*
Vicere portæ, jam labaſcit militans
Domeſticis diſſenſionum Solyma
Inſultibus. Mereris inde gratias
Ab omnibus doctis, piisque maximas,

Patris GEORGII premens veſtigia,
Et illa *pacis inſtrumenta* denuo
Prælo recudens, FRIDERICE, *nominis*
Non vane vindex, pacis & ſtator ſacræ!
Pro pace dudum militaſti ſtrenue,
Tibique militavit æther hactenus:
Hinc glorioſa fronte canos exhibes,
Argenteam ceu victor invictiſſimus
Geris coronam; quam nec ætas atteret,
Ærugo nec livoris obſcuraverit:
Donec triumphorum ſatur cœleſtibus
Tandem coronis perpetim ſuperbies.

Aliud

In verba: BEATI PACIFICI &c.
quæ Vir Venerabilis marmoreæ ſtatuæ B. Parentis honori ſacræ inſcripta voluit.

ANte obitum ſe nemo queat celebrare *Beatũ*?
Talem *Pacificus* ſe celebrare poteſt.
Tu mare pacificum forti, CALIXTE, ſecaſti
Remigio, fuerat *Nautica Numen Acus*.
Sacra nec *Irene* blandam *ſirena* tegebat:
Præluxit *candor*, fax velut illa *Phari*.

Latran-

Latrantes inter Scyllas, mediamque Charybdim
Invidiæ, *portus* sat *Tibi* tutus erat.
Scilicet in proprio gestabas *pectore cœlum*:
Audit enim sanctæ Pacis utrumque domus.
Si taceant omnes, saxum clamaverit istud:
Ille vir, ante obitum rite Beatus erat!

Hæc

Pacis atq; concordiæ, veræ tamen & non fucatæ, amantissimus, CALIXTINO*q;* NOMINI *non uno nomine obstrictus scribere debuit*

Jo. Andr. Schmidt D. PP.

Fac. Theol. h. t. Decanus.

Hic mitis pietas, hîc sanctæ semina pacis,
Hîc puræ legitur Religionis amor.
Hostem sed, dicis, fidei tolerare jubemur?
Qui negat aut torquet dogmata sacra Dei.
In bellis Domini, credas, non fortior alter
Calixto: pacis sed studiosus erit.
Hoc opus, hic labor est sero dignissimus ævo!
Hæc TIBI post funus fama perennis erit.
Gratulor ex animo! Decus immortale paterni
Nominis, & nostri portio prima chori.

Sint vegetæ vires TIBI! sit robusta senectus!
Vt perstes Christi firma columna gregis.

hoc ex animo vovet
CALIXTINI nominis
perpetuus cultor
Christoph. Tobias Wideburgius D.
& Prof. Publ.

SCinditur in multas partes ecclesia Christi,
Quot, quæso, cœtus? vix numerare potes.
Laudibus ornantur, quibus est *concordia* curæ:
Namque gregi toti commoda magna ferunt.
Illo quis melior, qui gentibus otia gignit?
Qui medius partes fœdera sancta docet?
Num minor ille cluat, qui sancto incensus amore,
Cogitat, ut possit gens pia pace frui?
Qui veræ inservit paci, quam sancta piorum
Agmina discupiunt, laudis honore valet.
Sed num speranda est concordia? bella moventur
Quotidie & Christi Sponsa dolore gemit.
Infelix lolium & steriles dominantur avenæ,
Accelerat messis, tritica rara vides.

Quæ

Quæ licet eveniant; tamen hæc, quæ vera, loquaris:
Sic verum ſatagis, functio geſta bene.
Non una eſt ratio, qua concordare laborant.
Vix numerare vales. Optima cuique ſua.
Utilis & felix eſt is, cui vera probantur
Qui, quæ falſa, fugit, commoda ſancta feret.
Omnia rimemur, veris ſtat ſalva corona,
Pugnantes jungant fœdere corda pio.
Hoc præſtant omnes veræ pietatis amantes;
Ut præſtent, orant voce gemente Deum.
A ſummo felix ſucceſſus Numine pendet,
Succeſſumque bonum, qui bene cœpit, habet.
Dirige ſumme Deus, pia pectora, dirige, ut unum
Fiant, quæ multos ſciſſa fuere dies.
Erue qui Verax, errores ſedibus imis.
Omnia ſincera pectora junge fide.
Quas nobis verbo doctrinas, Sancte, dediſti,
Fac puræ maneant: tolle, Supreme, malas.

his

& Patri & Filio, utriq; Theologo, Doctori, Profeſſori atq; Abbati, illi pie defuncto, huic veneranda canitie ſeni, Præceptori & Patrono debitam & filialem obſervantiam teſtatur

FRIDERICUS Weiſe SS. Theol.
D. PP. & Sup. Gen.

CALIXTI MAGNI fili venerabilis, inter
Theiologos primo commemorande loco;
Quæ Vir, quæ juvenis didiciſti ferre maligna,
Propter pacis opus, ſcommata, ſperne ſenex.
Poſteritas ſapiet meliora, Patriq́ue Tibiq́ue
Ob tantum ponet conſilium ſtatuſas.

Vtrumq́; optat & expetit

PHILIPP. LVDOV. Böhmer
Moral. Profeſſ. Ordin.

BENEVO-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [34] - -
PUBLIC DOMAIN

BENEVOLO ET PUBLICÆ TRANQUILLITATIS STUDIO FAVENTI

LECTORI

S. D.

FRIDERICVS VLRICVS, GEORGII F.

CALIXTVS.

QUam nunc iterata vice exhibeo, τὸ μακαρίτε Parentis mei, DE REFORMATORUM, circa controversas quæstiones TOLERANTIA CONSULTATIONEM, non eâ intentione ut publici juris fieret, sed magni & religiosi cujusdam Sacri Romani Imperii Principis fluctuanti conscientiæ ut consuleret humillimo eam consignavit studio. Nempè eopse tempore, quo cum Principe sublimi & Illustri thoro dignâ, inter Reformatos natâ & educatâ, connubiale fœdus meditabatur fortissimus Heros, subiit animum, circa Religionis capita dissensum, aliquid trahere incommodi: quod tamen, si extra conscientiæ forum subsistat, turbandis sacris istis, destruendisve alioquin salutaribus consiliis, haud quaquam futurum sit sufficiens. De Civili igitur Reformatorum tolerantiâ securus, etiam de Spirituali certior fieri voluit. Quâ propter hactenus non usque quaque liquidæ, sed Eridos pomi instar jactatæ & agitatæ potius quàm in alterutram partem decisæ

Suscepti Scripti occasio.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [35] - -
PUBLIC DOMAIN

Quæſtionis deciſionem, plenioremq́, in mitiorem inclinantis quidem, nec tamen veritati repugnantis ſententiæ, poſtulavit deductionem. Quæſtio autem huc eſt redacta: Numquid Reformati non tantùm externo, qualem homo homini debet, adfectu & amore, ſed etiam nexu intimiore, quali Chriſtianis Chriſtiani ejusdem cœleſtis Patris filii, copulantur, ſint complectendi? Etenim tolerare proximum, & ejus vacare odio haud ſufficit, eundem diligere quoque oportet. Nam *qui non diligit fratrem non eſt ei Deus, & manet in morte*: I. Joh. XII. 10. & 14. Prolixè de argumento illo, cùm coràm tùm per literas fuit actum. Quum autem in multoties interruptas deliberationes varia ſe ingeſſiſſent impedimenta quin etiam anteactorum quandoque interceſſiſſet oblivio, malo huic remedium quærendum fuit. Non inventum autem eſt magis expeditum, quàm ſi ultra citraque agitata, in continuam ſine interruptione fluentem ſcripturam redigerentur. Suſceptum igitur negotium, præſens inter, arcana Principis reducta Conſultatio, terminavit.

Arcana Principum non eropalanpa.

§. 2. Sed vellicare nunc incipiunt aurem, dicturi, conſiliorum arcana propalantem, non levi injuria afficere pios manes ejus, qui illa ſacro involuta ſilentio, nunquam detecta voluerit. Ego verò iſtius culpæ, me haud reum eſſe gaudeo mihique gratulor. Etenim edendi opera, quam alius integro octennio anticipavit, mihi ceu primo promulgatori, tribui nec poteſt nec debet. Nempè illapſa eſt Paterna iſta Conſultatio, neſcio cujus inſtinctu an liberalitate ſiniſtrâ, in manus alienas, circa ſcripta, in quæ nihil his competit juris, divulganda plus æquo ſolertes. Nec ſuffecit mendis non paucis ſcatens exemplar, ſub Calixti nomine, protruſiſſe in lucem, ſed transferendum illud inſuper fuit in linguam, quâ piæ recordationis Auctor, non niſi

Teuto-

Teutonicorum declamatorum importunitate adactus, loqui consueverat. Anni igitur supra millesimum sexcentesimum quinquagesimi editio, Francofurtensis, tunc adhuc superstite Auctore divulgata, malè eum quum habuerit, istoc inconvenienti emendatiore editione consultum iviſſet ipse, nisi eâ tempestate obtrectatorum intemperies, ab hac & multiplici publico profuturâ operâ, piam retraxiſſet manum. Non procul autem à præcipitantis nunc Seculi medio, paulo post anni LVI exordium, quum obtigerit beata Deo dilecti Viri ἀνάλυσις, partes exsequendi quod ille decreverat, mors tamen præveniens interdixerat, in me sunt devolutæ, eò quod Sereniſſimorum Brunsvico-Luneburgicæ Domus Ducum clementiſſimo Decreto, atque indulto speciali Privilegio, Paternorum scriptorum editio, mihi esset demandata.

§. 3. Hîc non possum me cohibere, quin memorem aliquid, perpetuâ memoriâ diguum. Increbuerat fama, Sereniſſimum Electorem Palatinum, immortalis memoriæ Principem, magno & generoso conatu moliri inter Protestantes circa aliqua Religionem attinentia capita dissidentes, conciliationem. De isto conatu quum decumbentis lecto mecum adstantes Collegæ sermones sererent, semi Somni sopore languidus; subito evigilasse est visus, quippè qui in voces erupit cygneas. Ich bin meines Lebens müde und satt / verlange auffgelöset zu werden und bey Christo meinem Heiland und Erlöser zu seyn: Solte ich aber zu Seiner Churfürstl. Durchl. heilsamen intention, etwas zu contribuiren vermögen / wolte mich noch wol etwas zu leben wünschen. Oggerente aliquo ex Collegis: die Calviniſten geben Ultima B. Calixti verba.

ben es gut vor / meinens aber anderſt als Sie reden; illico regeſſit: Thun Sie das / ſo haben Sie ſolches für den geſtrengen Gerichte Gottes an jenem groſſen und letzten Tage der Welt / da aller Hertzen Gedanken werden offenbahr werden / zu verantworten. Inmittels können wir Ihnen nicht weiter einſehen / als die Zähne Ihnen gewachſen ſind / müſſen Sie zum wenigſten vor ſolche Leute halten / *qui civiliter boni.* Iſta ſicut diſtinctè eſt effatus, ita Henricus Roſe / tunc ejus famulus & amanuenſis, deinde ad vicinæ Bardorffenſis Eccleſiæ gregem paſcendam, vocatus Paſtor, calamo excepit, atq; inter alia memorabilia, iſtam quoque cygneam cantilenam de verbo ad verbum annotavit. Morti verò vicinus ita quum peroraſſet, gravibusque verbis circumſtantium perculſiſſet pectora, his non animadvertentibus, ſine convulſionum motu, ſine dolore, ſine gemitu, ſine omni mortis ſenſu, placidè in Domino obdormiens, piam animam in Servatoris ſui manus conſignavit. Perenni memoriâ dignum, quod vir pacis & tranquillitatis Eccleſiaſticæ flagranter cupidus, cum iſtâ deſiderii ſui, beatâ morte obſignati conteſtationem, ex hoc litigioſo ſeculo, ad DEUM pacis, pacificos ceu filios dilectos amplectentem, in pace emigravit: in pace maneat memoria ejus!

§. 4. O ter quaterque beatum, quem excitatis turbonum manu fluctibus jactatum, vaſtumque circa gurgitem natantem, potentior illis Divina manus mergi non eſt paſſa! O ter quaterque beatum, cui pax, quam anhelabat ille, mundus invidebat, in militante non obtigit Eccleſia, in triumphante conſtans & non ceſſatura in æternum, venit in occurſum. In perpetuam memorabilis rei geſtæ memo-

memoriam, ista dicta sunto. In casti verò piiq́ue Calixtini Voti honorem & venerationem, Marmoreæ Statuæ, quæ de Servatoris nostri labiis manans Symbolum, BEATI PACIFICI QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR, in fronte gerat, exiguæ quidem molis, magni tamen ponderis Scriptum, innoxium illud, at multis exosum, publicam rem omnem tranquillaturum, *Suum Ecclesiasticæ concordiæ desiderium & studium* declarans, vicem sustineat. Illud ipsum Consultationi, quam flagitantium interpellationibus fatigatus, iterum exhibeo, comitem dare volui, quod utraq́ue commentatio, paris esset argumenti, utraq; in eundem collimet scopum: in uno saltem posterius discrepet à priori, quod illud latius quàm hoc porrigat ulnas, atq́ue unà cum Reformatis etiam Romano-Catholicos complectatur. Subsistit verò illa inter eos solos, quos Pax Imperii publica posuit & definivit limites, Socinianos cum Remonstrantibus, & quicquid paris est furfuris, procul inde arcens. Tales enim hîc loci foveri vel saltem tolerari, tantum abest, ut illi, si innotuerint, apud nos pernoctare, per Academiæ prohibeantur Statuta.

§. 5. Verùm enim verò, hîc iterum aures pressius vellicat stans in insidiis monitor, ingerens, quod prudentiam veterano Theologo decentem, non sapiat, vulnus quod nec dum plenè occalluerit, refricare, atq́ue vehementi animorum conflictu pridem decertato certamini, renovatam porrigere ansam. Agnosco equidem non leve moniti pondus, quod ubi expendi, in Tractatu de Hæresi & Schismate, Num. C, in istam sententiam, in quâ etiamnum acquiesco, scripsi: *Quandoquidem præsens ætas, hoc suplicii debere videtur, ut sana consilia respuat, sepulta illa maneant cum suis auctoribus, donec imminentem fortè feliciorem posteritatem, tandem capiat aut pacis studium aut pugnandi tœdium.*

Sopita dissidia non iterum excitanda.

Generosa Pufendorf. fii constantia.

dium. Haud probasse talem pusillanimitatem, Illustris, acris judicii Viri, Dn. *Samuelis Lib. Baronis de Pufendorff*, generosus animus mihi est visus: quippè qui in Jure Feciali Divino, Dissertatione de Consensu & Dissensu Protestantium posthumâ, Num. III, pag. 10, accensam pacificorum manu lampadẽ, non penitus extinguendam duxit. *Nec ideò*, inquit, *ea res* (Pacis nempè & concordiæ Ecclesiasticæ studium) *pro deploranda habenda est, quod multi circa eam incassum operam consumpserunt, ludibrio, aut aliorum insultationibus expositi. Nam quæ rectis fundamentis nituntur, si non apud omnes saltem apud quosdam applausum invenient, & quæ in præsens rejiciuntur, deinceps ubi nunc prævalentes animorum labes exoleverint, æstimatores suos habebunt. Ac sine dubio Deus istis rerum conversionibus, sua tempora destinavit, quæ uti cum patientia piis expectanda sunt; ita bonam suam intentionem declarasse fas utiq; fuerit, nemini noxæ, saltem quibusdam fructui futuram. Si cui tamen aliquam in hoc negotio impendere operam placeat, ei ante omnia cavendum est, ne quod veritati præjudicium adferatur.* Ista impunè hactenus scripsit, modo laudatus Pufendorffius. Verùm eadem aut his paria quando scripsit Calixtus, haud tulit impunè, sed ab infami Syncretismo, Samaritanismo, Babelismo, Atheismo, & nescio à quibus non portentis accersita denominatione fuit deturpandus & flagellandus. Quas tamen non ideo expromimus mente querelas, quod benigniorem Pufendorffio occurrentem fortunam invideamus, sed quod Calixtum in causâ æquè justâ, indigna sustinentem & passum, non ulli succubuisse persequutionum violentiæ, sed in inimicorum regnasse medio, ostenderemus. Ecquid verò præteritarum renovata memoria motuum ærumnarumve juvat? Maneant illæ sepultæ; maneat densa iniquarum criminationum seges, voluntariâ oblivione contrita; maneant

Con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [40] - -
PUBLIC DOMAIN

Consultoris Consilia tantisper sepulta, donec imminentem feliciorem posteritatem tandem capiat, aut pacis studium aut pugnandi tœdium: maneant, inquam, sepulta, vel in luce posita nec probata nec damnata, citra contumeliosam insectationem, relinquantur in medio, ad illa usq; *tempora quæ Deum istis rerum conversionibus destinasse* Dn. Pufendorffius, *non dubitavit*, atque tempora illa *piis* cum patientiâ *expectanda* censuit, cujus expectationis desideria priusquam expleantur, *bonæ* interim *intentionis declaratio, nemini noxæ, saltem quibusdam fructui sit futura. Declaratæ verò intentionis*, approbationem, Consultorum neuter importunè extortum, nec ulli Consilia obtrusum ivit, sed satis modeste, in medium illis propositis, cuique judicium integrum salvumque reliquit.

§. 6. Quin imò pius Parens meus, ab omni arrogantia alienus, aliis rectiora & saniora suggesturis, cedendi & obsequendi promptitudinem, non obscurè testatam reliquit, quando hoc ipso quod exhibemus Desid. & Stud. Conc. Eccles. in ista desiit verba: *Hæc non sunt Decreta vel Edicta, sed sunt Consilia* (*Germani* Unfürgreifliche Vorschläge *fortè dixerint*) *profecta ab animo dissidia & odia destante, & concordiæ flagranter cupido. Si ab aliis proferri queant rectiora, illa præ nostris obtineant.* Item Responso maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis opposito, Num. LXI, superioribus paria leguntur, quæ ita habent: *Nihil præscribo: quod Divinis literis & venerandæ Antiquitati, quod pietati & veritati consentaneum esse existimo, in medium profero. Tantum valeat quantum cum his congruit. Suum cuiq; judicium esto liberum, nec aliter obnoxium, quàm quâ & veritatis evidentiâ & vi rationum impellitur.*

Quomodo Consilia à Decretis & Edictis discrepent.

— — *Si quid novisti rectius istis,*
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

§. 7. Istis

§. 7. Istis expeditis è diverticulo revertimur nunc ad Consultationem, à quâ digressi sumus. Agit illa de *Reformatorum Tolerantiâ*. At de quali? Certè non de aliâ quàm quæ foro competat Theologico: in Civili enim sancita, non est hujus loci. Spiritualem utique esse oportet, conjunctam cum actuali quantumvis non in omnibns in aliquibus saltim pnnctis, unione & communione sacrorum. Verùm TOLERANTIÆ vocem hîc loci non in stricta significatione acceptam volumus. Nempè possum proximum, ceu verum Christianum, ejusdem cœlestis Patris filium, ceu concorporem & cohæredem tolerare, quamvis ille erret errorem, sacrorum communionem impedientem, prohibentem & eo usque remorantem, donec errore isto exemto redintegretur quoque actualis sacrorum communio. Interim tamen, non definit errori implicitus, esse Christianus, dummodo salvificam, in Symbolo Apostolico, sensu catholico & orthodoxo intellecto, definitam fidem retineat, sartam tectamque custodiat. Etenim non omnis & qualiscunque error, Christianorum numero excludit. Iterum consentientem habemus supra adductum virum egregium. *Id autem apud omnes*, ait ille, *puto, in confesso est, non omnem errorem opinionem esse exitiabilem, & cum periculo salutis conjunctam, sed eam tantùm, quæ fundamentum fidei salvificæ evertit*: §. 15. Errare certè humanum est, & quum in universum omnes Christiani sint homines, vix eorum ullus omni errore sic vacaverit, ut nullum in eo reliquum sit alicujus vestigium; quantumvis se errare nesciat, & quia nescit, errorem non agnoscat, nec vel per imbecillitatem judicii, vel præconceptâ, à majoribus, quorum auctoritas efficax, opinione occupatus, agnoscere possit. Interea, quàm diu error circa S. Eucharistiæ præsertim Sacramentum, in alterutra patre sine agnitione regnat, tàm diu communio actualis sacrorum est impossibilis. Et quo usque illa

puto rursus inter errores eucharisticos distinguendum alii nec enim omnes impediunt communionem eucharistiæ, sed illi tantum qui impediunt fructum sacramenti
add. §. 19 seqq.

illa ſublata, eo etiam usque exitiale Schisma perennat; hac verò redintegrata, Schisma quoque desinit. Quantò verò redintegratio actualis communionis sacrorum, futura est difficilior, tantò minùs relinquitur spei, Schisma sublatum iri. Istas difficultates prævidens B. Auctor, ultra Tolerantiæ limites nunquam est progressus. Lites igitur & ex his nata odia, aliaq; sacrorum communionem prohibentia & remorantia obstacula, remotura *Media* talia, quæ quantumvis controversias, contentionum fomitem, non extinguant, illas nec dirimant nec tollant, minimùm tamen temperent & mitigent, deduxit in conspectum. Et ne quis illud quod B. Vir dextrâ tradidit siniſtrâ arripiat, maturè monendus est lector, quod in tolerantiæ consortium haud quaquam admissos voluerit alios, quàm solos veri nominis Christianos, publico Religionis exercitio in S. Imperio gaudentes. Tam hoc est evidens, ut cæcum esse oporteat qui non viderit.

RELIGIONUM MISCELLA.

§. 8. Non defuerunt tamen qui eidem impegerint, quod *diversarum Religionum* molitus *sit miscellam, quâ veluti in foro Politico, partes transigentes jam hæc jam illa, cedat aliquid & de suo quasi jure aliquid remittat, jam Lutheranis, jam Pontificiis, jam Calvinianis, jam Socinianis, jam Remonstrantibus, aliquid in fidei Dogmatibus concedat.* Deum immortalem, quàm atrox hæc est accusatio! Pensanda itaque singula. Primo, malè hîc componuntur controversiæ in *foro Politico*, dijudicandæ, cum illis quæ *in foro Ecclesiastico* agitantur. Illæ concernunt negotia civilia, in quibus *justum* & *injustum* spectatur: & quisque in arbitrio suo habet, de jure sibi competente remittere quantum sibi libuerit: imò quantò quis plus remiserit, tantò majorem merebitur laudem. Hæ concernunt Dogmata, in quibus neque *justi* neque *injusti*, sed *veri* & *falsi* habetur ratio. In veritatem autem nemini mortalium quicquam competit juris,

ris. Atque hinc de veritate vel remittere aliquid vel falsum pro vero adserere, nemini est integrum, sed quanti quisque æstimat favorem Numinis, tàm sedulo ei cavendum, ne vel studia partium, vel sua compendia, vel micans quoddam lucrum, vel amplarum dignitatum spem, agnitæ veritati, (etiamsi illa non sit fundamentalis, sed quæstionem aliquam juxta fundamentum enatam attineat) anteponat, atque sic veritatem impugnanti aliquid largiatur & concedat.

De Religionum Miscella.

§. 9. Quando igitur de Tolerantia loquimur, haud quaquam alios, eâ complexum inimus, quàm civili illâ in S. Rom. Imperio jam tùm gaudentes, ponè Lutheranos, Pontificios & Reformatos, exclusis Socini assectis cum Remonstrantibus. Quid igitur Auctorem istum induxerit, ut prioribus posteriores quoque conjungeret, quo illud fecerit jure quave injuriâ, equidem non penetro. Et multò penetro minùs, quonam nostratium Theologorum, quos sugillat, scripto edoctus, imputare illis non dubitaverit, quod etiam his ipsis fundamentum salutis evertentibus Hæreticis, *aliquid infidei Dogmatibus* nos *remittere*, & *diversarum Religionum miscellæ*, quam vocat, hos quoque immiscere, atque ita è diversis Religionibus unam conflare intendamus. Falsa fundamentum salutis subvertens Sociniana & Remonstrantium Religio, cum verâ Christianâ, non magis potest coalescere, quàm duo contradictoria simul possunt esse vera, vel aqua & ignis inter se conciliari. Atque si talem *Religionum miscellam* comminisci aut possibilem facere placuerit, nasceretur inde non Religio, sed Religionis monstrum.

Controversiæ Status.

§. 10. Sic malignè igitur mutato Controversiæ Statu, ad justam mensuram ille est redigendus: quo redactus, & nostram manifestaturus est innocentiam, & accusationis sic detecturus iniquitatem, ut nullum relinquatur tegendæ injuriæ velum. Integrabitur autem Controversiæ

ſiæ Status, adſumtis & nominatim ac diſertè expreſſis illis, qui in conſortium tolerantiæ admitti poſſint & debeant. Eâ verò lege, alienigenis, qui ſunt quidem in Eccleſia, attamen non ſunt de Eccleſiæ compage, ſemotis, hi duntaxat admittantur ſoli, qui in Eccleſiaſtica Romano Germanici Imperii ſocietate, civitate donati communibus gaudent privilegiis. Nec extra orbitam vagari, & aliquid de quo non quæritur, in quæſtionem vocare licet. Haud quaquàm autem de eo quæritur; An de veritate agnitâ, licet non fundamentali, aliquid ſit remittendum, vel contra eam adverſæ parti aliquid concedendum? Sed de eo demum quæritur: Num ſtantibus erroribus, cùm Pontificiorum tùm Reformatorum, fundamentum fidei (ſubſtrata videlicet noſtra, acriter quidem impugnata, nunquam tamen expugnata hypotheſi) non evertentibus, noſtra interim non ceſſante contradictione, illi nihilominus ut Chriſtiani tolerari poſſint & debeant? Satis autem procul à diverſarum *Religionum* (loquor nunc in vulgus recepto more i. e. minus accuratè, ſiquidem non plures ſed una duntaxat vera & ſalvifica in terrarum orbe eſt Religio) *Miſcellâ*, iſta remota eſt tolerantia. Etenim qui tolerat ille non miſcet, præſertim ſi ſic tolerato errori contradicere & reſiſtere non deſinat: errori tamen implicitos, novis provocare odiis, vel veteribus alendis materiam ſuggerere, contumeliis impetere & laceſſere, vel infeſti aliquid inferre, non præſumat. Sed de temperatâ contradictione, quæ veritatem ſolidè quidem, comiter tamen aſſerat, & hanc non agnoſcentes, non rodente non mordente vulneret dente, oportuno loco plenius.

De Religionum Miſcellâ.

§. 11. Redeundum nunc eſt ad *Tolerantiam*, cum quâ haud tolerabili conditione hactenus eſt transactum. Verſi-

TOLERANTIA.

colorbus illa amicta tunicis, vix unquam in nativo ſtatu eſt relicta. Tandem appenſo pannoſo *Syncretiſticæ Religionum Miſcellæ* tegmine, ſic denigrata, ut in omnium eam intuentium oculis, eſſet abominatio, in theatrum protracta, *Samaritanismi*, ſicut Chriſtus in aulico Pilati Judicio, ſine miſericordiâ eſt damnata. Flagitat igitur neceſſitas, ut veritati vindicandæ gratiâ, detracto fallaci tegmine, priſtinæ reſtituatur integritati. Reſtitutio autem in integrum, tunc demum eventura eſt conſpicua, quàm primum & tolerandorum dogmatum pondus, æquâ lance erit expenſum, & *Tolerantiæ* ipſius *Subjectum Quod*, amotâ omni Hereticâ progenie, erit determinatum. Ad poſterius omnis omninò veri nominis Chriſtianorum numerus innumerabilis pertinet: qui quum per homines integretur, illi quia homines ſunt, humani aliquid quandoque patiuntur, & non omni quidem errore vacant, nec exicialiter tamen errant. Unde porrò priori loco poſitum emergit; tolerabilem in Chriſtiano errorem, non poſſe eſſe ſummi ſed inferioris gradus errorem; talem nimirum, qui in fidei fundamentum non ſic impingat, ut illud ſubvertat, funditusve evertat. Hoc ipſum autem, quum utraque, & Socinianorum & Remonſtrantium ſacrilega manus deſignet, eum, qui vel utrumque vel alterutrum Chriſtiani nominis dedecus, ſanctæ Religioni immiſcere, infelix lolium tritico miſcens, talem *Religionum miſcellam* quæ omnes qui non ſecundum eſſe ſed ſolum dici, atque ideò non re verâ ſunt Chriſtiani, in unam maſſam redigere præſumſerit, ſanæ mentis haud compotem eſſe oportet. Quantò verò ſomnia talia profundiore premuntur ſtupore, tantò grandiore læduntur injuriâ, qui quod gravi, mentis ſenſuumq; acumen obtundente lethargiâ correpti, talia ſomniaſſe finguntur, atq; publicè in conſpectu Eccleſiæ, ceu Hæretica ſomnian-

Toleranriæ Subjectum Quod.

Errores tolerabiles.

tes

tes traducuntur. Interim utrius, vel illius qui ἀδύνατα commenta alteri imponit, non dicam malitia sed simplicitas, vel illius cujus cervici imponuntur, innocentia, hujusque comes patientia, in admirationem sit ventura? uterque suo experiatur periculo. Equidem videor mihi videre emunctæ naris densam multitudinem, uno ore acclamantem, universo orbi erudito celebratam Calixti dexteritatem, tàm densam haud admissuram eclipsin, per quam sanæ mentis oculi sic fuerint obnubilati, ut non viderint, quod tyronum in Theologia oculi, non possunt non videre.

§. 12. Cæterùm qui structam & intentatam Fidei fundamento vim, cautum & aversum eunt, eos de fundamenti istius mensurâ, sic certos esse oportet, ne limites ejus dilatent, neve contrahant. Statuant alii quicquid velint. Equidem antiqua novis præfero, atque meliorum Seculorum purioris Ecclesiæ vestigia legere, qui consuevi, *Symbolum Apostolicum* adæquatam sufficientemque salvificæ fidei regulam esse censeo: quippè per quæ ibi tacta, in sensu catholico si relinquantur, & verâ fide credantur, & reliqua sint paria, homo salutem obtinere queat. Sola autem *Credenda* memoro, non quidem quod *Agenda* insuper sint habenda, sed peculiari & competente, à fundamentis aliquanto remotiore loco relinquenda & reservanda.

Fidei fundamenti mensura.

Symbolũ Apostolicum.

§. 13. Extant certè in veneranda Antiquitate istius Symboli & sufficientiæ indicia & præ aliis, summâ operâ confectis & adornatis scriptis, prærogativam celebrantia non tenuia vestigia, sed plus quàm luculenta documenta. Talia sunt probatissimorum testimonia Patrum, quibus Symbolum Apostolicum, *Norma* est, *Linea* est *fidei & veritatis*, ejusdemque *manifesta* & *immobilis Regula*: quæ magnifica prædicata abundè, quo loco illud habuerint, declarant. Leguntur autem talia, apud *Clementem Alexandrinum*,

Irenæum, *Tertullianum*, *Origenem*, *Auguſtinum*, *Rufinum*, *Cyrillum Ieroſolymitanum*, *Iſidorum* & multos alios. Inter omnia autem iſta encomia, *Regulæ fidei* prædicatum, utpote univerſaliter recepta ejus denominatio, eminet. Secundum *Regulæ* igitur *Normæve* ductum efformatam Symboli ſtructuram, non ſuperficiariâ ſed amuſſitatâ operâ confectam fuiſſe oportet: quod ipſa denominationis vis comprobat, ſiquidem Regulæ propria eſt qualitas, ut ſit *menſura fallaciæ expers, nec additionem nec diminutionem ullam admittens*, interprete *Varino*. De priſcâ verò puriorum ſeculorum Eccleſiâ universâ, ne præſumi quidem poteſt, adhibituram illam fuiſſe *Fidei Regulam* mancam & imperfectam. Imperfecta enim & inſufficiens ſi fuiſſet, quomodo ad *Notam diſcretivam fidelis & infidelis* conſtituendam ſuffecerit? *Maximus* tamen *Turinenſis* ſuam Symboli Expoſitionem, non tantùm perfectionem ſufficientiamque celebrante, ſed & adusque ſignaculi, quo fidelis ab infideli ſecernatur, jubar illud extollente epiphonemate concluſit: *Hoc eſt*, inquit, *cariſſimi, Symbolum, cujus ſignaculo fideles ab infidelibus ſecernuntur. Hoc eſt Symbolum, cujus veritas, credentem efficit Chriſtianum. Hoc eſt Symbolum quod & viventes ſanctificat, & mortuos reducit in vitam.* Cum Auguſtino & aliis antiquis Sanctis Eccleſiæ Doctoribus, procul omni diſſenſu faciunt recentiores ultimæ ætatis ſcriptores. De multorum conſortio unum, *Hugonem San-Victorinum* adduxiſſe ſufficiat. Hìc inter *Symbolum* & *Collationem* diſcrimen indicaturus: *Symbolum Signum dici*, ait, *vel Collationem*. SIGNUM, *quia eo fideles ab infidelibus diſtinguantur*. COLLATIONEM, *quia in eo Apoſtoli omnem fidei integritatem contulerint*: Summæ Sentent. Tractatu V. Cap. XIII. Iſta, quoad prius membrum, evincendæ notæ discretivæ accomodata, ſatis rectè ſe habent. Quod autem

Apoſtolis

Apoſtolis ipſis Symbolum iſtud tribuit, in eo fortè cum pluribus aliis, itemque bonis, à veri viâ aberravit. Si enim Apoſtolis ipſis illud acceptum eſſet ferendum, pro Θεοπνεύστῳ habitum atque nihilo minus quàm reliqua horum monumenta, in Scripturam Canonicam & Apoſtolorum Acta, fuiſſet redactum. Cautius itaque *S. Auguſtinus*, quem Hugo imitari voluiſſe videtur, eſt mercatus, quippè qui Symbolum *Collationem ideò dici* affirmat, *quia collata in unum, totius catholicæ legis fides, Symboli colligatur brevitate* : De Tempore Sermone 115. Nihil hîc de Apoſtolis Symboli auctoribus : quos non Apoſtolos ipſos ſed viros Apoſtolicos, illorum auditores & diſcipulos fuiſſe, vero eſt ſimillimum.

§. 14. Mittimus nunc alia, ſufficientiam Symboli probantia, à provocatione ad *S*ymbolum, & praxi Eccleſiæ, accerſita argumenta. Secundum antiquiſimam nempè hujus praxin, catechumeni Baptismi candidati, qui Symbolum Apoſtolicum antequam tingerentur, recitare, atq; hoc recitato fidei profeſſionem facere didicerant, pro veris habebantur Chriſtianis.

§. 15. Iſtorum verò nihil quum ignorare potuerit Dn. Pufendorffius, Vir & Eccleſiaſticæ & ſecularis antiquitatis peritiſſimus, mirari ſubit, quibus inductus motivis, præter Symbolum Apoſtolicum, de alio *ſolido ac ſufficiente ſeu adæquato fidei fundamento* quærendo & inveniendo, fuerit ſollicitus. Detali, inquam, fundamento, in quo *utrinque conveniatur*, & *fidei articuli definiantur, qui ad ſalutem ita neceſſarii ſunt, ut neque ignorari, neque negari, neque detorqueri aut in diverſum ſenſum trahi debeant.* Iſta verò omnia & ſingula requiſita, Symbolum Apoſtolicum ambitu ſuo plenè & ſufficienter circumſcribere & continere exiſtimamus; exiſtimarunt adducti Patres; ut aliud Symbo-

lum

lum antiquitate, perfectione, & proinde obtinendæ ſaluti ſufficientiâ prævalens, Apoſtolicamq; eminentem dignitatem ſuperans, ab Eccleſiæ primodiis & deinceps ſit habitum, quærentes, haut ſint inventuri. Sed videtur ſagacisſimus Vir, laxiorem mente concepiſſe Symboli formulam, quæ non tantùm credenda ſed agenda ſimul complecteretur: quum poſteriora, tamen ſtrictè loquendo, ad credenda non pertineant; utpote quæ ad credendum non pari quâ priora neceſsitate ſunt neceſſaria. Priora ſcilicet neceſsitate & medii & præcepti ſunt neceſſaria; poſteriora ſolius præcepti neceſſitate, quæ non tanto, quanto abſolute & ſimpliciter neceſſaria, ſtringuntur rigore.

§. 16. Secundum hactenus recenſita, non promiſcuè omnibus hinc inde advolantibus, tolerantiæ aula, in quam veluti asylum ſe recipiant, patet. Illi duntaxat ferendi ſunt toleranter, qui quamvis errent, ignorantes tamen, talem errant errorem, qui fundamentalem veritatem in ſalvo relinquat. Tolerandorum verò dogmatum pondus, Symboli Apoſtolici Articulis non eſt appendendum, quippè qui non tolerantur, ſed in univerſo Chriſtiano orbe, procul omni contradictione, regnum poſsident. Circa reliqua quæ extra Symbolum illud cadunt dogmata, diſſenſus eſt ponderandus, expendendumque, utrum tanti ille ſit momenti, atque dogmata his illisve propria, quæ una pars ſola, diſſentientibus aliis omnibus toto orbe Chriſtianis, tuetur & propugnat, tantæ ſint molis, aut usque adeò pernitioſa, ut illa probantes, quamvis non ſtimulante pervicaciâ, ſed vel ex merâ ſimplicitate, vel per invincibilem & hacteus inſuperabilem erroris ignorantiam, probent, nihilominus Chriſtianorum numero ſint extrudendi, & ſicut infideles, vel ut his nihilo meliores, Hæretici habendi? Aut potius illi, qui in erroris pice hærent,

rent, atque semet inde expedire non valent, vel eo loco nati sunt & positi, ut rectiora docentium informatione destituantur, atque hinc errorem excutere nequeant, vel horum etiam Magistri & Doctores, usque quo, nondum sufficienter convicti, errorem retinent, Christianè tolerari mereantur? Solvendæ quæstionis operâ levabimur, si eruditione, ingenio & prudentiâ præstantes, in id intenderint acumen converterintque industriam, ut exemtis scrupulis discrepantes concilientur sententiæ: quæ opera quàm primum executioni fuerit mandata, exspiraturum est tolerantiæ munus. Tolerantia enim ex se & suâ naturâ tolerandi erroris existentiam supponit ejusdemque continuationem: hoc exemto nullus relinquitur tolerantiæ locus. Sicut valetudini conciliatus, morbi tolerantiæ eximitur: ita discrepantibus conciliatis sententis, utraque pars è dissensus eximitur tolerantiâ: ubi verò perfectæ conciliationis spes decollat, ibi in exilium missa tolerantia, scandali plena regnant odia. Quantò autem difficilior est conciliatio, tantò magis sollicitè quærenda est cura palliativa, quæ quamvis morbi livores non expiet, cavet tamen, ne ingravescant & exasperentur. Prolixè laudatus Dn. Pufendorffius Tolerantiam diffidentium, *Induciis* assimilat. *Tolerantia*, inquit, *indolem habet induciarum, queis belli effectus, & hostilitatis operationes suspenduntur, manente causa & statu belli.* Ast dicturi sunt οἱ ἀντιλέγοντες, Inducias Syncretismum in sinu gerere. *Cretenses* enim, juxta Plutarchum Syncretismum definientem, *crebris seditionibus & bellis civilibus agitati, advenientibus externis hostibus, transigebant & conjungebantur. Is enim erat, ut ipsi vocabant, Syncretismus.* Istæ verò Cretensium induciæ ad pauxillum tempus durabant; siquidem pulsis hostibus & cessante periculo, ad ingenium redibant. Induciæ igitur tales haud futuræ essent constantes & perpetuæ, sed cum periculo recidivæ conjunctæ,

Tolerantia Indiciis assimilata.

parum juvaturæ. Sed perinde esse poterit, quocunque tolerantiam appellaveris nomine : sive induciis, sive curæ palliativæ assimiles, suffecerit, si rem signatam obtineamus. Hoc interim certo certius est, multo majore cum difficultate, *Conciliationem* quàm *Tolerantiam* esse conjunctam. Etenim quàm ægrè dimittatur aliquid, quod diu placuit, imò quod ab ipsis usque placuit incunabulis, docet experientia.

§. 17. Difficiles istas difficultates agnovit ipse *Inducierum* assertor, quippè qui de Tolerantiâ dissidentium §. 4. p. 13 scripsit: *Per tolerantiam controversiæ, & discrepantes opiniones super capitibus fidei persistunt; pravi tamen effectus cessent, eademq; in materiam odiorum & persecutionum haud arripiantur, dissidentesq; eodem modo invicem agant, ac si nullum dissidium foret: saltem ut unus alterum non prohibeat, quo minus discrepantem suam sententiam publicè porfiteatur* (quod certè sine contradictione alterius discrepantis sententiæ fieri non potest) *ac suo ritu sacra obeat, nec eo nomine infesti quid ei inferat.* His non multum dissimilia tradidit & professus est, B. D. Georgius Calixtus, hujus ipsius, quam exhibemus, Consultationis Numero XXCVII: Non obstantibus, ait, controversiis nostris, & erroribus, quos altera pars alteri impingit, alii alios ut Christiani Christianos habeamus & tractemus, nec aliter quàm per humanam mentis, difficultatibus superatæ imbecillitatem errasse statuamus, atque ita depositis odiis, quæ animos è statu suo dimovere, & veri cognitionem vehementer impedire solent, placidè inter nos conferamus & in veritatem inquiramus. Atque *isthæc tolerantia potissimum* Dn. Pufendorffio *visum est remedium sistendis malis è diversitate Religionum provenire solitis, postquam ita difficile est, inolitas diu opiniones exuere, easq; ad plenam conciliationem deducere.* Inolitæ igitur opiniones, quæ difficulter exuuntur, suis reliquantur defensoribus, donec

donec per amicabilem & placidam collationem, veritate, Divinâ adminiculante gratiâ, eruta, ad plenam conciliationem discrepantes sententiæ reducantur. Vel si hoc fortè nimium fuerit visum, & vix ulla affulgeat spes, sublatum & in solidum compositum aut sopitum iri dissensionem, relinquitur tamen non modica, fore ut acri animorum contentione atq; diuturnâ collisione exacerbati, depositis tandẽ natis è conflictu odiis, & ipsi mansuescant atq; ad moderandum saltem minuendumque dissensum se componant. Interim dum eò diriguntur consilia & consultationes, obtineat Tolerantia, modestam contradictionem non excludens inhibensve, simul ac aliquid conciliationis admittens. Notanter dico, *aliquid conciliationis*: quodammodo scilicet conciliasse videbitur, qui effecerit, ut utraque pars in silentium compromittat, & urgere desinat illa, pro quibus tanquam pro aris & focis est decertatum. Isto nempè pacto eventurum est, ut suspensa solenni renunciatione, missum saltem faciant eum, qui huc usque placuit, errorem. Quod ubi obtentum fuerit, sensim delebitur ejus recordatio, inducturumque est edax rerum tempus tandem oblivionem. In terminis enim contradictoriis si versentur partes litigantes, harum alterutram errasse oportet. Eo autem rem deductum iri, ut à majoribus in posteros traducto errori, non nisi agnito, confesso & damnato, renuncietur, spes apparet exigua. Grandia igitur & vix ac ne vix quidem superabilia obstacula, plenariam omnium tàm maximi quàm mediocris ponderis & momenti controversiarum conciliationem, impeditura obstacula, arguto penicillo picta deliniavit, humanæ indolis perspicax indagator Pufendorffius. *Enim vero*, ait, *ejusmodi perfecta conciliatio, ut nempè illi* (qui) *hactenus erroneas opiniones aluerunt, bis ejuratis in veras sententias cum reliquis conspirent,*

Imperfecta conciliatio.

rent, præsenti humanorum morum facie, optanda magis quàm speranda est; non quod ipsæ sententiæ planè adstrui, aut convelli per suam naturam nequeant; sed tùm propter præjudiciorum à puero inolitorum pervicaciam, tùm ob humani ingenii superbiam, alios sapientiores videri dedignantem, ac vel in odium alterius semel placita tueri pertinacem, præsertim quum dissensiones impunè spernere possint. Unde si quis ejusmodi conciliationem tentare instituerit, sinè dubio operam in cassum consumet, atq; aliorum sese ludibrio exponet. Effatus certè, quod res est, inolitumq; ulcus, acu, quod dici consuevit, tetigit. Nempè ea sumus indole, ut majorum, quos in veneratione habemus, nævos tegere potius quàm propalare studeamus: vel si tegi & occultari nequeant, in auctorum ignominiam, non condemnemus. Huic tamen etiam malo medendo fecerit, si adversam partem non urgeamus, ut majorum in demonstratam veritatem impingentium sententias, publicâ quidem voce erroris damnet, eò tamen inducamus, ut missum saltem faciat, pertinaciter defendere & propugnare desinat.

Errores, etiam sine condemnatione dimittendi.

§. 18. Eò qui rem deduxerit, aliquid imò multum, si non ad controversiarum ipsarum, ad animorum minimùm conciliationem contulerit. Ut autem sopitis circa doctrinæ capita à seculis agitatis litigiis in universum omnibus, pax universalis redintegretur, pium quidem est votum, sed plus quàm dubii eventus.

§. 19. Inter majora gravius pressura saxa, redigendæ fuerint illæ, quæ circa modum præsentiæ corporis & sanguinis Christi in S. Eucharistiæ administratione agitantur controversiæ; siquidem Schisma in tres magnas Ecclesiam dividens partes, ab isthoc pendet paxillo. An verò præsentiam, hæc illave pars, citra determinationem vel ad crassam per Transsubstantiationem, vel ad simpliciorem quidem

Circa Eucharistiæ Sacramentum: dissensus, SCHISMATUM causa.

quidem, veram tamen & realem, inter utraque extrema mediam, sit admissura; vel Transsubstantiationi atque ex hac emanantibus corruptelis; vel signi præsentiæ, manducationive impropriæ per solam fidem, sit renunciatura, est μέγα λίαν ἄιτημα? Inter controversias itaque, de quibus spes est reliqua, quod harum assertores missum eas sint facturi, illas tueri & propugnare desituri, illæ, quæ Eucharisticum Sacramentum attinent, non sunt trahendæ. De illis, quæ circa Pontificis Romani volvuntur infallibilitatem, idem esto judicium, siquidem fundamento, quo stante stat, ruente ruit tota Pontificii Regni machina, fulciendo, extremam sunt impensuri operam.

§. 20. Quâ propter, istam rerum faciem intuitus pius Parens meus, neque in hac ipsa Consultatione, neque ullibi locorum ad usque *Reunionem*, per quam in totum tollatur Schisma, est progressus, sed intra *Tolerantiæ* cancellos limitesque substitit. Et consulto quidem consilio ibi substitit, quod actualem communionem remorantia impedimenta, pertinacius incumbere intelligeret, quàm ut his amoliendis humanæ suffecturæ sint vires. Enim verò, nisi plenaria controversiarum, earum cumprimis, quæ circa Synaxeos sacrum sic volvuntur sicut circa axin globus vertitur, præcesserit conciliatio, sequi non poterit actualis communio istius Sacramenti, de quo controvertitur, sicut nec desinere poterit Schisma. Quàm diu enim circa præsentiã τῶν ἐυχαριστηθέντων dissensus, eandem mensam Domini simul & junctim frequentare prohibet, tàm diu manet inter hos illosq; quibus simultanea participatio est interdicta, Schisma.

B. Calixtus ultra Tolerantiã non est progressus.

§. 21. Largiamur tantisper, non obnubilare densam errorum nubem fidei salutiferæ lucem; imò faciamus, omnia in controversiam hactenus vocata, sopita esse, pacata esse & conciliata; supereſſe saltem unum eundemque solum

De causâ Schisma efficiente & fovente.

lum dissensum, qui per Satanæ astum, & hominum, τὸ *Quomodo* mysteriorũ superstitiosè illaudabili industriâ scrutantium, ingenii & acuminis ostentationem, in sanctæ Eucharistiæ Sacramentum est ingestus: demus, inquam, præter hunc unum scrupulum non adesse ullum alium, in quo hi illive possint offendi: Sic comparatus Ecclesiæ universæ status, quantumvis tàm propè adsit quàm procul abest, nondum tamen ad amovendum Schisma suffecerit, superstite Schismatis fomite, i.e. non desinente collisione in illum offensionis lapidem, qui non offensionis sed perfectæ Christianæ unionis signum & symbolum esse debebat. Quo usq; certamina Eucharistica non sunt cessatura, tàm diu non potest nostrorũ aliquis, vel cum Pontificiis vel cum Reformatis simul de eodem pane edere, & cum his de eodem calice bibere: & vice versâ, utrorumq́ue aliquis non potest nobiscum. Etenim ille qui apud animum suum persuasus & certus est, verba Institutionis cœnæ Dominicæ accipienda esse sensu nativo, sicut jacent & sonant, quamvis ita accepta, aliquid, quod aliàs novum & inusitatum est, enuncient; atq́ue proinde in Eucharistiâ sive Cœnâ Dominicâ adesse, & quando editur panis, edi quoq́ue corpus, & quando bibitur vinum, bibi quoq́ue sanguinem Domini, non quidem mediante Transsubstantiatione, vel locali aliquâ inclusione, alligatione & commixtione, neq́ue interventu dissensus vel adsensus, sed modo nobis planè incognito, supernaturali, ineffabili, incomprehensibili, verè tamen & secundum ipsam substantiam; qui apud animum, inquam, suum hac de re est certus, non potest præsentiam negare, absentiam docere & profiteri; nec potest in communionem talia tradentium & docentium se ingerere, & unà cum illis de eodem pane & calice participando, horum communicandi ritum approbare. Ad eundem modum, ille, qui apud ani-

quidni possit? cum de eodem pane et calice participando nihil aliud respectus quàm sese participantes pro fratribus habere qui sint salutis participes, non ideò ideò præsentiam eius ipse negare cogitur

panem benedictum tanquam Dominum presentem non adorant
pontificii, sed Dominum ipsum tanquam symbolorum efficacem peculiari
modo presentem.

De causâ Schisma efficiente & fovente.

animum ſuum certus, quod Transſubſtantiatio ex divinâ revelatione demonſtrari non poſſit, panem benedictũ ſive conſecratum, tanquam ipſum Dominum, extra uſum præſertim, præſentẽ, adorare non poteſt. Præterea certus, quod Dominus Euchariſtiam non aliter inſtituerit, quàm ut τὰ ἐυχαριστηθέντα, tùm panis tùm vinũ diſtribuantur, ille ſi aut Miſſas communicantibus deſtitutas probaverit, aut ſub unâ communicaverit, Deum iratum eſt habiturs, ſiquidem egerit aliter & contra quàm Deum mandaſſe novit. Omnes igitur eo loco & conditione poſiti, ut de eodem pane edere, & de eodem calice ſimul bibere non poſſint, in Schismate, utpote ſchismatibus alii ab aliis diviſi & diſtracti, vivunt quidem, nec tamen ſtrictè & propriè ſunt Schismatici, ſi Schismati nec cauſam præbuerint nec fomentum, remoram aut impedimentum, quo minus tollatur & aboleatur, objecerint, atque proinde *Schisma*, ut cum S. Irenæo loqui liceat, *operati* non fuerint.

§. 22. *Quoniam unus eſt panis* (verba ſunt Apoſtoli I. Cor. X, 17.) *unum corpus nos multi ſumus: nam omnes de uno pane participamus.* Participare igitur de uno illo pane, ſive participies ſimul eſſe menſæ Domini, & junctim libere poculum Domini, ſymbolum eſt perfectæ Chriſtianæ unionis mutuæque communionis. Ecquis itaque non ingemiſcat, imò amaris non deploret lacrymis, ipſum illud concordiæ & unionis ſymbolum, ſic degeneraſſe, ut in diſcordiæ & ſchismatis teſſeram ſit converſum? Quid enim unionem actualemque communionem Chriſtianorum rumpit, ſi adminiſtratio, atque inde nata incompatibilis uſurpatio Euchariſtici Sacramenti non rumpit? Quo usque igitur circa hoc ipſum Sacramentum motæ lites non fuerint pacatæ (pacatum autem iri ſpes affulget exigua) tàm diu ſublata actuali communione Sacramenti, perennaturum

naturum esse Schisma, jam tum in antecedentibus est demonstratum, nec temerè quisquam negaverit. Quomodo enim nondum sublatâ causâ Schisma efficiente, cessabit effectus ? Quo pacto Schisma est desiturum, quàm diu illud operans & efficiens causa non desierit? Schismate igitur distractorum tolerantia, non eo usque fuerit porrigenda & extendenda, ut undecunque sive è Romani Pontificis, sive Lutheri, sive Calvini castris advolantes, in actualis Sacramenti Eucharistici communionis admittat consortium.

De exclusione à communione.

§. 23. Quantò verò exclusio à communione majus est damnum, tantò melius videbitur meritus, qui excludendi necessitatem inhibens remedium invenerit. Invenisse sibi est visus celeberrimus Dn. Pufendorffius, quippè qui promittere sibi est ausus, *Tolerantiam neminem à particularis Ecclesiæ communione excludentem*. Ubi enim de consensu in fidei, in solidùm sufficiens seu adæquatum fundamentum egisset, *circa reliqua*, pergit, *dogmata quæ extra id fidei fundamentum cadunt, & circa quæ admissus error, fundamentum fidei, ne indirectè quidem subvertit, Tolerantia adhibeatur, eamque ob causam nemo à communione particularis Ecclesiæ excludatur, aut se ipsum separet, sibique peculiarem cœtum formet.* Nunc subsumo de S. Eucharistiâ: quod nimirum illa sit extra fidei fundamentum cadens dogma: an verò circa illud admissus error indirectè fundamentum subvertat necne? alia est quæstio. De errore autem dogma hoc afficiente prædicatur, quod propter eam (erroris nempè causam) nemo à communione particularis Ecclesiæ sit excludendus: atque ad talem promiscuam obtinendam communionem, tolerantiam adhibendam perhibet. Aut igitur fallor, aut ad non aliam *Communionem* quàm *Sacramenti* respexit: ad communionem, inquam, per quam ejusdem panis calicisque

cisque consecratorum, reddimur participes. Quia enim *communio* ista, ad Ecclesiasticam, seu *particularis Ecclesiæ communionem* restringitur, vix aliam quàm Eucharisticam intellectam voluisse auguror. Si hoc, à communione Ecclesiæ particularis Reformatæ non excludendi fuerint Lutherani: & vice versâ, à communione Ecclesiæ particularis Lutheranæ, excluſos noluerit Reformatos: eò quod dogma de Eucharistiâ extra fidei fundamentum cadat, & admissus circa illud error fundamentum non subvertat. Par ratio fuerit communionis Pontificiorum, ad quos tamen, quum excluſos eos voluerit, nunc non reflectimus. Ast nimium in largiendo prodigus (quod pace tanti viri dictum volumus) fuisse videtur. Etenim usque adeò laxæ unionis extensioni, tolerantia ipsa ex se & suâ naturâ obsistit. Qui enim non majoris momenti ducunt in S. Eucharistiæ sacrum impingentem errorem, illi eum non tolerant, sed in praxi eundem usurpando, probant. Quæ tamen praxis, ut cum violatione conscientiæ est conjuncta, ita est inpracticabilis, probari & admitti non ullâ ratione potest. Nempè quorum aliqui, in administratione S. Eucharistiæ Sacramenti, verè & realiter secundum substantiæ præsentiam, tunc quando sumuntur τὰ εὐχαριστηθέντα, corpus & sanguinem Christi Servatoris nostri, præsentia credunt: & vicissim alii, illud tàm longè, quàm cœlum abest à terrâ, inde abesse credunt, eos, inquam, quamvis Christianè se invicem tolerent, de eodem etiam pane simul edere posse, tàm est impossibile, quàm est, quod contradictoriè oppositæ propositiones, quales sunt, *adesse in S. Eucharistiâ corpus Christi*; & *idem corpus non adesse*, simul possunt esse veræ. Sicut etiam incompatibilia sunt, in Schismate (quale inter partes utrasque, proh dolor! exarsit) vivere, & tamen cum sic separatis actu communicare.

§. 24. Fertur Reformatos Angliæ Regnum incolentes, quorum Theologi in eximiæ moderationis sunt æstimatione, non sic rigidos jurisve sacrorum esse tenaces, ut nostrates à communione Ecclesiæ Reformatæ arceant, sine discrimine potius admittant omnes, quotquot cum ipsis communicandi desiderium exposuerint. Quæ res, non tàm admittentium quàm admissorum gravat conscientias; & qui à communione nostratis, ad alterius circa Sacramenti essentialia à nobis discrepantis Ecclesiæ transiliunt communionem, horum vana se prodit incertæ mentis levitas. Etenim ceream in quamcunque partem flexilem conscientiam sortitum esse oportet illum, qui Sacramenti non omni ex parte legitimè administrati usum appetat: præsertim quum nullâ faciat eum urgente vel cogente necessitate. Non enim est Eucharistici Sacramenti, nullo non loco & tempore exercendus usus, tantæ necessitatis, ut suspensionem dilationemve in aliud magis oportunum tempus non admiserit. Talium scilicet, quæ nullâ medii in ordine ad salutem necessitate sunt necessaria, tunc quando legitimus obtingere nequit usus, exercitii sacrorum omissio, non est aliquis à vilipendio profectus neglectus, sed privatio talis, quam pro ratione loci & temporis evitare, in mortalium non est manu & potestate. Nec potest in discrimine vitæ positos, ultimo viatico utendi necessitas sic arctare, ut non malint abstinere, quàm illegitimè sibi administrari pacis, probrũ subire. Atq; quamvis Domini & Servatoris nostri in Sacramento altaris præsentia, non à sumentis & accipientis fide pendeat, in re tamen seriâ & sacrosanctâ ludos veluti agere, atque in Reformatorum communionem ingestum capitalem, Schisma operantem errorem, scandalum daturo exemplo vel probare, vel errorem compertum & agnitum dissimulare, temerariæ & inexcusabilis levitatis animique sibi non constantis, futurum esset indicium.

§. 25. In-

§. 25. Intercedentibus itaq; unius ejusdemq; mensæ communionem inhibentibus, & quo minus restauretur, hactenus remorantibus obstaculis & impedimentis, sublata *actuali communione Sacramenti*, hac prostrata & procumbente, superstes tamen manet atque inconcussa perennat COMMUNIO VIRTUALIS. Ast illam seu *Inane commentum*, naso suspensam adunco, ostentui habet Dn. Pufendorffius. Difficulter equidem inducor, ut viro quem magni semper feci & facio, obnitar, quia tamen eximiæ & eruditionis & moderationis viri, quibus *Unionem virtualem*, ceu *inane commentum* exprobrat, phrasin istam Ecclesiasticam vel si mavis terminum Scholæ, è Paternâ disciplinâ secum extulerunt, extorquetur mihi nunc, utriusq; UNIONIS & COMMUNIONIS differentiam indicandi, VIRTUALISQVE, ab *innanis commenti* insimulatione eam liberaturum fundamentum, ostendendi necessitas. De uuionis & communionis Virtualis ab Actuali differentia.

§. 26. Istoc verò officio defunctus mihi videbor, ubi ostendero, quod Orientali Ecclesia divulsa ab Occiduâ, atque hac in tres magnas discerpta partes, omnes quotquot sunt toto orbe Christiani, in Schismate quamvis vivant, maneat tamen & sit inter sic miserè laceratas & segregatas partes, aliqua unio & communio, quarum alia, diverso respectu, ACTUALIS, alia VIRTUALIS vocetur. Prius de illâ dispiciendum, deinde etiam de hac, quæ tunc quando particularis Ecclesiæ communionis exercitium, per inevitabilia inhibetur obstacula, defectum in tantùm supplet, quantùm in humana est potestate & circumstantium pertinaciter incumbentium obstaculorum vis permittit.

§. 27. ACTUALIS verò UNIO & COMMUNIO, inter eos qui Schismate ab invicem sunt segregati reliqua, sita & conspicua est in consensu super Symbola Oecumenica seu Cardinalia quæ vocamus, Apostolicum, Nicænum & Athanasianum: De unione & communione ACTUALI.

De unione & communione ACTUALI.

nasianum : horum duo posteriora, à priori non discrepant sed sunt locupletiores saltem illius declarationes. Inter Articulos Symbolis istis suggestos & propositos, S.S. Trinitatis & Incarnationis mysteria eminent. De partium alioqui multum inter se discrepantium, consensu in Mysteria ista, testimonium perhibent, tùm Apologiæ Augustanæ Confessionis, tùm Smalcaldicorum Articulorum Auctores. B. Philippus Melanchthon, Apologiam sic orditur: *Primum articulum Confessionis nostræ probant adversarii nostri, in quo exponimus, nos credere & docere, quod sit una essentia Divina, individua &c. & tamen tres sint distinctæ personæ, ejusdem essentiæ Divinæ & coæternæ, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* In hac utique fide actu communicamus atq; unimur nos & adversarii nostri, nmepè in unitate fidei, circa SS. Trinitatis Mysterium. B. Lutherus in Prima Articulorum Smalcaldicorum Parte, quâ de *Summis Articulis Divinæ Majestatis* agit, recitatis eo pertinentibus, statim subjicit: *De his articulis nulla est inter nos & adversarios controversia, quum illos utrinq; confiteamur.* Omnes verò inter quos nulla est de summis Articulis Divinæ Majestatis controversia, & quos articulos utrinque confitentur, illi in fide, quantum summos Articulos Divinæ Majestatis attinet, actu communicant, & actuali unione in illos articulos uniuntur. Sed inter nos & Pontificios, nulla est de summis Divinæ Majestatis articulis controversia, & illos articulos utrinque confitemur. Ergo nos & Pontificii, in fide, quantum summos Articulos Divinæ Majestatis attinet, actu communicamus, & actuali unione in illos articulos unimur. De Reformatis idem esto judicium. Extendere autem hoc argumentum licet, ad omnes articulos, tribus Oecumenicis Symbolis propositos : atque inde emergit amplior cum adversariis unio in fide funda-

fundamentali ad ſalutem neceſſaria. Nempè actuali fide in articulos Symbolis iſtis propoſitos, cum adverſariis nos communicare & uniri, eousque manet verum, donec aliquem iſtorum articulorum, ſive Pontificios ſive Reformatos negare & evertere, oſtendatur. Enim verò Fides in tribus œcumenicis Symbolis fundata, ad obtinendam ſalutem, reliqua ſi ſint paria, eſt ſufficiens. Quicunque igitur in fide tribus œcumenicis Symbolis fundatâ actu communicant, illi communicant in fide ſalvificâ ad obtinendam ſalutem ſufficiente. Sed tres circa Religionis negotia diſſidentes & in Schismate viventes partes, in fide tribus œcumenicis Symbolis fundatâ, actu communicant. Ergo tres circa Religionis negotia diſſidentes in Schismate viventes partes, communicant in fide ſalvifica, ad obtinendam ſalutem ſufficiente. Quod probandum erat.

§. 28. Novi equidem veritatem iſtam, ſudem multorum eſſe in oculis, quia tamen *Unionum diſcrimen*, non niſi applicatis exemplis, dilucidè ob oculos poni poteſt, hac vice illis quæ ad præſens inſtitutum apprimè ſunt accommodata, ſuperſedere non poruimus. Tantum verò de unione, actuali: reliqua eſt virtualis.

§. 29. Diſpiciendum nunc erit, utrum UNIO & COMMUNIO VIRTUALIS tale ſit phantasma, cui *Inanis commenti* elogium ex re & vero, atque ſic jure, an procul & à re & à vero, atque ſic injuriâ tribuatur? Quæ autem tribuenda ſit Unioni & Communioni Virtuali virtus, de eo non ſunt conſulendi alii quàm illi, à quibus terminus iſte eſt uſurpatus, atq; diſtinctioris cognitionis ergo, ad declaranda Chriſtianorum, qui *ſub uno Chriſto ſunt & militant*, commercia, adhibitus. Si quo autē terminus iſte laboraverit vitio, ejus indicium expectabimus ab illius fautorib⁹, cui inania commenta, tempore fortè haud opportuno, pronâ

De unione & communione VIRTUALI.

Præf. Ang. Conf. præmiſſa.

De unione & communione Virtuali.

in reprehenſionem mente, comparuerunt. Sed à cortice ad nucleum: ad fundamentum nempè cui Unio & Communio Virtualis innititur. *Poſitum* illud fundamentum dicimus, *in ſerio deſiderio, voto, adfectu & ſtudio, unam eandemq; communionem reſtaurandi & frequentandi*: quibus verbis Epicriſeos ad Colloquium Thorunienſe Auctor, rationem denominationis, quare *Communionem*, cujus exercitium ceſſat, *Virtualem* vocare placuerit, reddere, & quia quisque à ſeſe adhibitorum terminorum optimus eſt interpres, exponere voluit. Ecquid verò illis quorum factum eſt indicium, cum inanibus commentis eſt commune? Inania commenta non habent fundamentum in re; at Unio & Communio Virtualis habent fundamentum in re, collocatum in ſerio deſiderio, voto, adfectu & ſtudio, in ſalutarem directo & collimante finem. *Serium* verò, *deſiderium, votum, adfectus & ſtudium*, circa negotium quod dubii quamvis ſit eventus, ſalutare tamen eſt, & dignum cui obtinendo omnes humanæ intendantur vires; tales, inquam, mentis operationes, ejusmodi pia, intimis è mentis penetralibus per altas ad ſidera nubes penetrantia ſuſpiria, non ſunt nihil, non ſunt entia non exiſtentia, non figmenta vel commenta inania, quæ nec ſuperos placant, nec acharonta movent. Sic verò ſe habent fundamenta, quibus Virtualem diſunitorum unionem, excommunicatorumque communionem, ſaltem in ſpe votoque reſtaurari diximus. Non caruerit igitur iſta *Virtutis* in religioſi voti ſpeculo repræſentata *Imago*, fundamento in re. Si non caret, quo ſtimulante pruritu, probroſo *Inanis commenti* dicterio fuit caſtiganda? Fortè quia ille idem quod Calixtus *in voto & adfectu* non *habuit*. Nempè hic, pro flagrante ſuo in religioſam pacem deſiderio, Eccleſiam Occidentalem univerſam pacatam videre deſideravit, ille excluſâ ampliſſimâ parte, ſolis Proteſtantibus conſultum & de

pace

pace horum Ecclesiis sanciendâ, prospectum ivit. Utrum verò trimembris Latinæ Ecclesiæ, robustum ampliora spatia occupans membrum, pro derelicto sit habendum, Romaque ceu irreconciliabilis deserenda, soli Protestantes redire in gratiam, & ad mutuam usque tolerantiam conciliari queant? alia eaque ardua est quæstio; tunc quoque tangenda, quando unionis communionisque virtualis qualitas, in conspectum erit deducenda.

De communione Virtuali inter fidei domesticos.

§. 30. Hæc, alas expediens pandensque, latè longeque eas porrigit, atque cum fidei domesticos, ejusdem communionis Sacramentalis consortes, tùm extraneos, veros quidem Christianos, attamen errori implicitos atque Schismate à nobis segregatos, complectitur. Priorum exemplum dant peregrini, Septentrionales plagas, Sueciæ, Daniæ, Norwegiæ, Islandiæque Regna incolentes, qui quamvis satis procul à nobis sint remoti, intimiore tamen quàm illi quos Schisma separat, nobiscum copulantur nexu. Cum his actu non communicamus, sive quod eodẽ recidit, Eucharistiam simul actu non percipimus, nec percipere, locorum prohibente intervallo, possumus. Si tamen eo venire & congredi detur, ad actualem communionem ineundum, & de eodem pane simul edendum, atque de eodem calice unà cum illis bibendum, promti sumus atque parati. Communio igitur inter nos & illos, Eucharistiæ intuitu, actualis non intercedit, sed Virtualis. Ejusdem autem salvificæ fidei communionem quod attinet, etiam cum procul remotis non virtute sed actu communicamus. Virtualis igitur communio, in ordine ad ejusdem Confessionis socios, solam Eucharistici Sacramenti participationem respicit; de reliquo communio est actualis, quiâ actu & de facto, in eandem salutiferam conspiramus fidem. Ecce *Communionis Virtualis*, etiam cum fidei domesticis evidens exem-

exemplum : ista autem num vero adeò sit dissimilis, ut inter *inania commenta* redigi mereatur, æquo Lectori dijudicandum relinquimus.

§. 31. Deinde, in Schismate viventes, diversæ Confessionis Christianos si intueamur, in conspectum sese ingerunt, *Communione* & *Actuali* & *Virtuali* invicem communicantes : *Actuali* quidem, respectu fidei salvificæ, quæ apud singulas divaricantes partes est superstes ; *Virtuali* verò quam in serio desiderio, voto, adfectu & studio, unam eandemque communionem restaurandi & frequentandi, esse sitam paulo prius diximus. Mente autem concepta vota, suspiria sunt, ex intimis cordis penetralibus sursum adscendentia atque in Dei, cordium scrutatoris, conspectum prodire non erubescentia. Quod si verò talia vota & suspiria figmenta sunt, si inania sunt commenta, ita voventes Deo fucum vendiderint, instructisque commentis ei illuserint. Sed regeri poterit, omne incassum abiturũ votum, exinanita impossibilia voventis intentione, inane esse, atq; ideò inani commento appositè adsimilari. Ast substratum, quod videlicet votum, circa impossibilia occupatum, ideò habendum pro inani, quia boni quod in votis est, sic vovens nunquam futurus sit compos, firmo non subsistit talo. Votum enim non secundum desperantis animi præsagium, sed ex Dei voluntate & potentiâ est mensurandum. Si quis sic simpliciter impossibilia ut Divinam excedant potentiam, voverit (ex. gr. si optaverit ut illi, qui Sacramentum mutilant, non secus agant quàm Servator instituit atque reapse præivit) ejus votum habendum fuerit pro inani : minimè verò si moraliter duntaxat impossibilia optaverit voveritque. In omnipotentis enim manu est, illa, quæ nobis moraliter visa sunt impossibilia, in illo temporis puncto, quo ad τὸ posse accedit τὸ velle,

velle, in completum deducere actum. Quid, si *tempora quæ Deus istis rerum conversionibus destinasse* non dubitavit ipse, haud procul absint, imò propius fortè adsint quàm adest Regnum Christi millenarium? Quid destinatis istis temporibus completis, consummatisque præstitutis diebus, de nostris dicendum votis & suspiriis? Numquid pro inanibus quæ incassum iverint, habenda? Haud equidem arbitror: Quia tunc, quando *tempus* illud quod ardentibus votis est experitum *destinatumq;*, illuxerit, vota ista non poterunt non adimpleri. Attamen quia in diem illum, quem nemo nostrum est visurus, talia elongantur vota, *commento inani* haud inconvenienter adsimilari, fortè dixerit _. At qui *inane commentum* esse potest, quod *cum pacienciâ piis expectandum*? Procul dubio neq; ego, qui alterũ pedem jam in sepulchro positum teneo, neq; alii οἱς χάιν χλωρὸν, diem illum qui *cum pacienciâ piis expectandus*, sunt visuri; num quid ideò verò posteritati non fuerit expectandus? Appropinquet, licet, dies ille tantò serius, quantò surgunt maturius, qui ne compareat, obicem objiciunt, tamen aliquando aut apparere eum oportet, aut si nunquam est compariturus, *cum pacienciâ piis non est expectandus*.

§. 32. Indulgeamus verò tantisper etiam illud, quod expectatio ista sit frustranea; non tamen seria è pectore pacem anhelante manantia vota, omni salutari frustrabuntur effectu. Obtinebunt certè alium, principali & primario quamvis non æquiparandum, secundarium tamen, voventibus insigniter profuturum. Etenim obstinatorũ pertinaciter resistentium improba solertia, in horum peccati consortiũ sic voventes non ita est tractura, ut cum iisdem in operati Schismatis culpam abripiantur. A quo crimine quisquis se præstare immunem desiderat, sibi caveat ne discordiæ semina spargat, ne obstaculorum machinas struat;

De tollendo Schismate votum, voventes ab operati Schismatis culpâ, præstat immunes.

prohibituras, ne fractæ in naufragio tabulæ colligantur, neve ad navis, quâ Ecclesia vehitur, compagem reducantur. Certè qui in id incumbunt, operati Schismatis reatum, de cervice non sunt amolituri. Ex adverso, qui studiis contrariis operantur, & in conscientiæ & in Divino foro excusati habebuntur; siquidem nullũ fovendo Schismati alimentũ ministraverint, nulla tollendo objecerint impedimenta, objecta amoliri, quantum in ipsis est, allaboraverint.

§. 33. Atque ad istam dilucidiorem *Communionis Virtualis* declarationem digrediendum, indignè habita ista *Communio*, invitum attraxit. Ista verò, sicut fundamento in re non caret, atque proinde non est figmentum, non *Inane commentum*, ita revertatur Pufendorffianum illud commentum inane, ad inane vacuum, è quo non aureæ, sed fatuæ surgunt & ebulliunt bullæ.

De Pace Universali & Particulari.

§. 34. Extricato istoc nodo, intacta non erit dimittenda quæstio, de assumendis & admittendis in tractandæ pacis consultationum consortium. Etenim potest illa, quando adversus communem hostem bellum geritur, vel *Universalis* esse, vel *Particularis*. Si civilia statum publicum attinentia negotia, illis quæ Ecclesiam concernunt sunt comparanda, illustre exemplum perhibent illa, quæ pridem in mundi theatro gesta sunt & geruntur. Nempè Magnus Sabaudiæ Dux, secessionem faciens à fœderatis, *Particularem pacem*, non sine reliquorum damno, cum Galliæ Regis Majestate iniit, exclusis reliquis, quibus associatus communem, adversus hostem communem egerat causam. Sint instar communis Protestantium hostis, à validâ Pontificiâ parte stantes. Quia verò omne simile claudicat, hic quoque duplex se exerit differentia: una sita in eo, quod Sabaudus cum communi hoste est pacificatus: altera in isto, quod uniti belligerandi causam

cauſam quod attinet, ſic inter ſe non diſſident, ſicut Proteſtantes, Religionis cauſam quod concernit, diſſident. Quicquid verò hujus ſit, adductum exemplum ad repræſentandam *Pacem Particularem* ſufficit. Illa quam nunc moliuntur, quæ ut proſperum ſortiatur eventum, ex animo precamur, *Pacis Univerſalis*, quæ utrinque (non ceſſante interim apparatu bellico, furentisque Martis funeſtis operationibus) appetitur, eſto imago.

§. 35. Iſta biformis pacis conſideratio, ducit in quæſtionem, utrum in ſanctæ Religionis negotiationibus, *Pax Univerſalis* præferenda ſit *Particulari*, an potius hæc illi? Si majus bonum evidente prærogativâ antecellit bonum minus, de propoſitæ quæſtionis ſolutione non magnopere erit laborandum. Etenim bonum commodumque univerſale & commune, quo beentur omnes in univerſum Chriſtiani, præſtat bono & commodo particulari, hoc redundate in paucos, illo in omnes. Aſt nullum commodum tàm vel oportunum eſt vel perfectum, quin aliquid trahat incommodi. Nempè negotiatio usque adeò diffuſa, ut univerſitatis induat indolem, plurimos in conſultationum attrahit ſocietatem: quantò verò plures ad generales, ne quenquam excludentes tractatus concurrunt, tantò negotiatio procedit tardius; ſiquidem multorum in nectendis tricis ſtruendisque remoris occupatæ manus, intentum ſic remorantur commodorum eventum, ut quantò ad apparens bonum acceſſeris propius, tantò illud, fatui inſtar ignis, fugiat longius. An Pax Universalis præſtet Particularis.

§. 36. Sed in iſto quem incolimus Chriſtiano orbe, atque in unicæ veræ & ſalvificæ Chriſtianæ Religionis univerſitate, omnium ſalus cum primis, & pone hanc univerſorum non tantùm intereſſe, utile & commodum eſt ſpectandum, ſed præterea etiam ejus quod eſt

juſtum, quod æquitatis flagitant leges atque ipſa rei poſtulat natura, habenda eſt ratio. Verùm & juſtum eſt, & æquitatis leges flagitant, atque ipſa rei poſtulat natura, ut omnium eodem loco eademque conditione poſitorum, par habeatur ratio. Apud quos autem fidei ſalvificæ fundamentum relinquitur & manet inconcuſſum, illi ceu eodem inter Chriſtianos loco poſiti, municipumq; inſtar ſunt habendi. Sed apud trium, in Schismate viventium & per illud diſtractarum partium ſingulas, fidei fundamentum in tantùm relinquitur & manet inconcuſſum, ut per illa quæ ſingulæ in Schismate viventes & per illud diſtractæ partes retinent, cognita & credita, iſtarum membra partium ſervari queant. Quâ propter ſingulorum in Schismate viventium & per illud diſtractorum partium harumque membrorum ſalutis par habenda eſt ratio. Quod ſi enim etiam illorum qui Chriſtum ignorant ſalus, curæ & cordi nobis eſſe debet, quid ni in eorum quoque qui Chriſtum non ignorant, ſed Chriſtiani æſtimantur & ſunt, ſalutem, quantum quidem in nobis eſt, eamus promotum?

Sanctimoniæ neceſſitas.

§. 37. Verùm ad obtinendam ſalutem non ſufficit, retento fundamento fidei ſalutiferæ rectè credere, ſed præter iſtam fidem, ſanctimoniæ quoque ſtudium, vitæque morumque requiritur integritas, quæ ſi defuerit, fidei in ordine ad ſalutem, haud profutura eſt ſinceritas. Quantumvis verò utriusque juſta conſtiterit integritas, emergunt tamen alia ſalutem periculo expoſitura obſtacula: talia ſunt huic illive parti propria erroribus obnoxia dogmata. Iſti quamvis ſatis ſint craſſi, extra ſalutis tamen fundamentum cadunt, illud non evertunt, ſed juxta emergunt. De talibus igitur nec paucis nec levibus erroribus quid ſtatuendum? Numquid in duriorem mitioremve inclinandum partem? Nempè in foro Divino atque juſto ſupremi diei Judicio

Judicio, utrum damnationem sint illaturi, veniamve & remissionem inventuri, quæritur? Hîc salis granum adhibendum atq; à principio è quo peccatorum vel remissio vel retentio emanat, accersenda responsio. Qui juxta fundamentum emergunt errores, quamvis non valde procul inde abeant, alii tamen magis vel è propinquo vel longinquo illud attingunt, directè vel indirectè illud sollicitant. Si *indirectè* illiserint, res habenda fuerit pro conclamata: si *indirectè*, aliquis veniæ relinquendus locus. Omne scilicet indirectum quum sit præter intentionem, Christiana caritas præsumit, quod indirectè fundamentum sollicitantes, illud sollicitare non intendant sed ignorates peccent, & proinde errorem non animadvertes per insuperabilem errent ignorantiam. Quod si verò humana finita caritas tàm benignè præsumit, quid non de infinitâ sperandum? Nempè Deus per infinitam suam misericordiam, intuitu meriti Christi, in quem sic errantes credunt, omnemque in ejus merito salutis suæ collocant fiduciam, erroris gratiam est facturus, atque ignorantiæ peccatum non imputaturus ad mortem. Errores reliqui nec directè nec indirectè fundamentum tangentes, minus sunt periculosi, non quidem quod ex se & suâ naturâ non mereantur damnationem, sed propter concurrentem circumstantiam, non nostris, sed solis Dei oculis conspicuam: si nempè errorum compede vinctus, abdicato pertinaciter propugnandi studio, lethiferum pervicaciæ crimen amoliatur. Quantumvis enim à dogmatis ad salutem aliàs non necessarii, integritate & sinceritate, Deus illam suspensam noluerit, error tamen pervicaciter defensus damnationem est invecturus, non quidem propter erroris pondus, sed propter voluntatis, aliquid quod falsum esse novit, tanquam verum per deliberatam pervicaciam propugnantis, malitiam.

De etroribus indirectè in fundamentum impingentibus.

§. 38. Atque sic comparatæ sunt circumstantiæ, errantes vel damnantes, vel errori, qui infirmitatis naturam peccati induit, veniam & remissionem conciliantes. Errare humanum est, atque proinde nemo qui hominem se esse, nihilque humani à sese alienum intelligit, sic sibi blandiri debet, ut ab omni errore esse immunem glorietur. Et quod amplius est, non illustrat orbem Christianum universum aliqua *Ecclesia Particularis*, quæ sic sit munda, ut omnibus omninò excussis rugis detersisque maculis, alias inter Ecclesias splendeat, sicut inter stellas Luna minores. Quantumvis verò per tales nævos, non sic deturpetur Ecclesia, ut veræ salvificæ Ecclesiæ nomen & encomium amittat, vel talis esse desinat, manent tamen eminentes vitio non carentes puritatemq; corrumpentes tuberculi, quorũ excessus in aliis magis in aliis minus est conspicuus. Et quia *puritas* gradus habet, quales *veritas* non admittit, hinc nulla Ecclesia particularis, *magis* est *vera*, quàm aliæ æquè particulares, quamvis *magis pura* esse possit. Et quod aliæ aliis sint puriores, necessariæ Reformationis felix monstravit eventus. Divina infallibilitatis privilegiũ involvens promissio de *portis inferorum non prævalituris adversus Ecclesiam* Matth. XVI, 18: Et quod I. Tim. III, 15, *Domus Dei quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis* constituitur: Atq; iterum quod Johan. XIV, 16, Servator noster *Spiritum veritatis* pollicetur, quem *daturus sit Pater, mansurum cum illis in æternum*; ista, inquam, omnia non Particulares sed Universalem attinere Ecclesiam. Qui igitur tolerare non possunt in Pontificiis, ut illi Ecclesiæ Universali Divinitus per adducta Scripturæ loca, concessum infallibilitatis privilegium arreptum, ad particularem Romanam inconvenienter applicent, qui ferre queant in Protestantibus, si hi idem quod illi præsumant, quum horum Ecclesiæ nihilo

Non ulla Ecclesia Particularis, errandi periculo est exemta.

nihilo minus sint particulares, quàm est Pontificia? Anne dicturi sunt illos qui talia audent, Papatizare, atque delirare cum insanientibus? Sola Canonica Scriptura, summæ & infallibilis est auctoritatis, quia est θεόπνευστος, à viris Divinitus hanc in rem destinatis, in literas & scripturam, dictante & suggerente S. Spiritu, redacta. Ecclesiæ Universalis, circa fidei fundamentum infallibilitas, à S. Scripturæ infallibili pendet testimonio, cum quâ nihil humanâ operâ confectum, venit in comparationem. Etenim ad quodcunq; scriptum, quantumvis Scripturam substernat, & cum Scripturâ loquatur, plusculum accesit humanæ operæ, sive Canonum, sive Confessionis, sive Corporis Doctrinæ, sive Libri Symbolici nomine illud veniat, errandi periculo subest, quia non, sicut Scriptura Canonica, est θεόπνευστον. Talia enim, neque de cœlo sunt delapsa, neque horum compilatoribus Divinitus inspirata. Sed ista obiter occasione circumstantiarum, è quarum concursu de errore judicium faciendum, utrum erantes vel damnet, vel à condemnatione immunes præstet. Redeundum nunc ad illud, quod in hac controversia est præcipuum.

§ 39. Haud equidem ignoro substratas de fundamento fidei inconcusso hypotheses, quorundam non esse stomachi. Interea tamen ego qui Præfatorem ad aliquod ejus Viri scriptum, qui illas substravit ago, ejus aliquid quod substratum invenio, deserere haud quaquam possum, & quidem tantò illas deserere possum minus, quantò magis, veras illas esse & subsistere inconcussas, in conscientiâ, citra ullum dubium, sum convictus. Non autem levidensis sed satis spissa est circa *Fidei fundamentum* suscepta disquisitio. Hujus enim pondus, geminæ potissimùm aggravant difficultates. Una ejus concernit *Mensuram*, altera ejusdem *Subjecta*, in quorum Societate illud relinquatur & maneat

Mensura fundamenti fidei.

maneat integrum attinet. Prius, *Mensura* nempè, nullibi Scripturarum sic est determinata, ut per expressam revelationem, ejus vel latitudo, vel angustia disertè sit definita. Tacente igitur Scriptura, ad priscæ meliorumque seculorum Ecclesiæ praxin, est retrospiciendum. Citra dubium enim illud, quod primis Christi fidelibus ad obtinendam salutem suffecit, etiam post sequutis sufficere, & per quam fidem servati sunt illi, nos quoque servari oportet. Sed suffecit illis Symbolum Apostolicum, atque salvi facti sunt per fidem Symboli Apostolici articulis perhibitam. Sufficere itaque nobis quoque oportet Symbolum illud, atque salvabuntur, quotquot salvantur, fide Symboli Apostolici articulis perhibitâ Et nequis cavilletur, sub Symboli istius tegmine latere etiam posse Hæreticos, restringimus illud ad sensum catholicum & Apostolicum, ut non nisi in sensu Catholico & orthodoxo accipiatur & intelligatur. Atque istac addita restrictione, excluſum imus omnes Hæreticos, in tali sensu Symbolum non accipientes. In excessu igitur peccant, qui fidei fundamentum usque adeò dilatant & extendunt, donec omne illud quod deinceps placuit, simul ac integrum librorum Symbolicorum systema complectatur. Quibus igitur Symbolum Apostolicum nimis visum est arctum & concisum, addant reliqua duo, universaliter recepta, Nicænum & Athanasianum, prioris uberiores plenioresque declarationes.

De Subjectis fidei fundamentum retinentibus.

§. 30. Istoc nodo soluto, & secundum primitivæ Ecclesiæ praxin, determinatâ *Fundamenti mensurâ*, altera quæstio, in quibus nempè *Subjectis* horumque Societate, Fidei fundamentum existat & maneat integrum? haud difficilis futura est solutionis. Nempè in omnibus illis manere oportet subjectis, horumque Societatibus & Ecclesiis, quæ tria cardinalia Symbola, Apostolicum, Nicænum

cænum & Athanaſianum recipiunt, atque incorruptum in nativo ſuo ſenſu relinquunt. Aut itaque Symbola iſta ad terminandam *Fidei Fundamenti menſuram* ſuffecerint, aut caruerit priſca Eccleſia ſufficiente Fidei fundamento. Si hoc, aut illorum, qui caruerint, non ullus vocationis ſuæ finem æternam obtinuerit ſalutem, aut ſine fundamento ad illam adſequendam ſufficiente ſervati ſalutisque compotes facti fuerint, omnes, quotquot ſunt, ſalvati. Prius Divinæ adverſatur providentiæ, poſterius in rectæ rationis illidit principia. Quod ſi verò in ipſis illis, quæ diximus, Symbolis fundata eſt ſalutifera fides, omnes, qui illa incorrupta relinquunt, atque vivâ & verâ illis adſtipulantur fide, veros Chriſtianos charitate Chriſtianâ dignos eſſe oportet. Et ſicuti in aliis, quæ fundamentum illud directè non tangunt, non evertunt ſed inconcuſſum relinquunt, ut Chriſtiani errantes, nec tamen exitialiter errantes, patienter fuerint tolerandi. Atque iſta ſunt fundamenta, quibus & Reformatorum & Pontificiorum, ceu inconcuſſo tibicine nititur Tolerantia, quam mutua fraterna comitatur dilectio. Qui enim unius cœleſtis Patris ſunt filii, fraternè invicem diligere debent, ſiquidem ille *qui non diligit fratrem, non eſt ex Deo & manet in morte.* 1 Joh. III, 10. 14.

§. 41. Sed, ſicut oleum perdit & operam, qui ſurdis narrat fabulam, ita omne & ipſe luſiſſe mihi videor ſtudium, qui cantilenam cano, ad cujus primum ſtrepitum illi, qui concinere debebant, obturant aures. Etenim haud quaquam me fugit, pluribus quàm è re eſt Chriſtianâ, omnem ſordere moderationem, quippè qui foras extrusâ *Pacificâ Theologiâ*, in *Bellatrice* agitari & occumbere, quàm in illâ tranquillam vitam agere malint. Ego verò ad tolerandum natus, horum quoque poſſum tolerare diſſenſum, & quamvis adverſus innocuam & inſontem To-

lerantiam insurgentibus, frenum capistrumve non sim injecturus, non tamen sic crudelis in propriam esse possum conscientiam, ut huic tantam inferam vim, quantam illi Christianæ tolerantiæ intentant, quanto effusa pia, à re ipsâ satis adhuc procul remota vota, impugnant vehementius. Quia igitur dictorum veritate plenè convictam gero conscientiam, hanc si salvam velim, ferente & postulante occasione, minimùm effari teneor, quid è principiis & fundamentis, quæ non substravi ipse, sed substrata inveni, positis & admissis sequatur. Ast ex hypothesi, quod intra tria cardinalia universaliter recepta Symbola, subsistat fidei fundamentum, sequitur quod ipsis illis Symbolis in sensu catholico relictis verâ fide adhærentes, fundamentum integrum retineant. Et est hoc ipsum de *fundamento fidei integro* κεκόυφιον, cui tota de Tolerantiâ disceptionis moles incumbit. Nec latet integritas ista in obscuro, sed adeò est conspicua, ut quibus præjudiciis non est obnubilatum intellectus lumen, non possint non eam conspicere: è Symbolorum enim sufficientiâ, illa non per difficiles extorquitur consequentias, sed suâ sponte non aliâ quàm nativâ impellente virtute, effluit. Si qui igitur sint, quibus nexus non videatur solidus, illi substratam aggrediantur hypothesin, atque aliud magis solidum, magis sufficiens magisque perfectum fidei fundamentum commonstrent: quod quàm primum præstiterint, utramque illis porrecturus sum manum, prolixasque acturus gratias, quod errantem in viam reducere sint dignati. Quod si verò aliud monstrare non poterunt, sine dissentientium præjudicio, tantisper in monstrato acquiescere patiantur. Et quidem tantò patiantur magis, quanto consequentiarum inconvenientia & imbecillitas hactenus evicta est minus. Patiantur utrosque, suo abundare sensu, prudenti rerumque

De fidei fundamento, intra tria subsistere Symbola.

Theolo-

Theologicarum perito Lectori, imò orbi Christiano universo, relicto judicio. Hujus forum subire equidem non erubesco magis, quàm in justo & ultimo seculi Judicio stare, atque in supremo Christi Servatoris tribunali, dictorum factorumque rationem reddere reformido.

§. 42. Cæterùm ne quis eum, qui fidei fundamentum aliud, magis quàm dicta Symbola, solidum, magis sufficiens, magisque perfectum commonstrari sibi postulat, Sacræ Divinitus revelatæ Scripturæ oblitum prætendat, isti quoque occurrere oportet objectioni. Equidem non speraverim fore quenquam, qui de me sit præsumturus, quod supremam S. Scripturæ auctoritatem, ejusdemque superabundantem perfectionem & sufficientiam, in discrimen vocare, in animum inducere potuerim. Est quidem illa omnium mysteriorum & doctrinæ Christianæ universæ complexus, est principium unicum primarium cognoscendi fidei fundamentum; quandoquidem tamen nullus non Hæreticorum ad Scripturam provocat ejusdemque verba in sensum trahit perversum, imposita & extorta est priscis catholicæ veritatis assertoribus, necessitas, adversus malignas tortorum invasiones congesto Symbolorum aggere, fundamenti latera circumvallendi atque adversus veritatis hostes muniendi. Ad sic valide igitur munita Symbola, juxta Scripturam toties quoties provocat Præfatio Concordiæ Formulæ præmissa. Et quidem statim in exordio, scire se ajunt *Doctrinam* in Augustana Confessione *comprehensam, & solidis Scripturæ testimoniis fultam, & à veteribus receptis SYMBOLIS approbatam* esse. Et post pluscula interjacentia, *Coràm Deo & omnibus mortalibus profitentur & testantur*, quod *declaratione articulorum controversorum — non novam Confessionem aut ab eâ (quæ Imper. Carol. V. felicis recordationis*

Objectio ejusdemque solutio.

anno 1530 exhibita fuerit) *alienam afferre*; *ſed Eccleſias & Scholas ipſorum, imprimis quidem ad fontes ſacrarum literarum,* & SYMBOLA—*deducere voluerint.* Sicut & paulo poſt, ad definitum ternarium Symbolorum numerũ, doctrinam ſuam reapſe deducunt, relicta quamvis Verbo, quod ipſe Deus per Prophetarum & Apoſtolorum os loquutus eſt, prærogativa. *Eam*, ajunt, *doctrinam intelligimus, quæ ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis exſtructa, in* TRIBUS VETERIBUS SYMBOLIS—*comprehenſa eſt.* Quicunq; verò doctrinã Chriſtianam, ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis exſtructam, in *tribus veteribus Symbolis* comprehendi profitentur, eosdem ipſa illa Symbola, fundamentum fidei exhibere & complecti credidiſſe oportet. Nihil itaque à Formulæ Concordiæ auctorum mente alienum tradiderit, qui in tribus iſtis veteribus Symbolis, fidei fundamentum collocatum dixerit. Et conſequenter ab illis, qui ad fidei fundamentum conſtituendum, dicta Symbola non ſufficere prætenderint, alterius magisque perfecti fundamenti indicium, citra ullam in Scripturam redundantem injuriam, exegerit.

Symbolorum auctoritas, ab Eccleſiæ univerſæ pendet approbatione.

§. 43. Sed formato argumento ad hominem, ex conceſſis & ſubſtratis, quod nempè illud omne, ad quod pluſculum operæ humanæ acceſſit, errandi periculo ſubſit, deducturi fortè ſunt, quod ad Symbola è Scripturâ ſacrâ excerpta & extracta, multum operæ humanæ acceſſerit: atque proinde compilatorum operam, errandi periculo non vacaſſe magis, quàm vocaverit Symbolicorum Librorum opera compilatorum. Et certè ita eſt, homines fuerunt, qui excerpendi operam omninò humanam adhibuerunt. Aſt non ab excerpentium dignitate, aut infallibilitate, quæ illis haud tribuenda, Symbolorum pendet auctoritas, ſed à ſubſequuto univerſalis Eccleſiæ conſenſu &

in

in hunc usque diem continuatâ approbatione. Haud igitur secundum extrinsecam denominationem æstimanda fuerint Symbola ista, sed ex Ecclesiæ Universalis auctoritate, unanimi consensu fidei fundamentum in illis constitutum agnoscente. Hæc verò si in constituendo ipso fidei fundamento erraverit, circa fundamentum, atque in tali erraret negotio, circa quod ab errore & errandi periculo, per notoria S. Scripturæ, alibi adducta testimonia, eximitur. Quod si igitur in constituendo fidei fundamento, infallibilitatis privilegio Divinitus donata Ecclesia, non erraverit, apud omnes particulares Ecclesias, quæ ab Universali constitutum, atque his, in trium generalium Symbolorum compendio traditum fundamentum acceperunt, integrum esse oportet. Evictâ verò istius fundamenti integritate, de illorum, apud quos reliqua est istius integritas Tolerantiâ dubium porrò moveri haud poterit.

De Pufend. à reliquis Pacificatoribus dissensu.

§. 44. Veruntamen inter ipsos pacis Consultores, non usque quaque convenire, recens docet exemplum. Celeberrimum enim Pufendorffium, è pacificationis negotio Pontificios penitus excluſum iviſſe, simulac hos ad meliorem redigendi mentem spem truncasse omnem, posthumum viri scriptum docet. Attamen si illorum quorum eventus vel dubius, vel conciliatorum intentioni conformis & ex amussi respondens non est sperandus, omninò nihil est tentandum, non magis cum Reformatis quàm cum Romano Catholicis subeundum esset periculum. Qui intuitu fidei salvificæ ex æquo nobiscum concordant, horum ex æquo sumus debitores. Sed non minus Pontifici Romano addicti, quàm Reformati, intuitu fidei salvificæ nobiscum ex æquo concordant, siquidem utrique tria Symbola œcumenica, in quibus fundata est ista fides, citra contradictionem amplectuntur. Ergo utrorumque

rumq; ex æquo ſumus debitores. Si hoc, quare non tàm illorum quàm horum par habenda eſt ratio? quare cum his tentare conciliationem magis conſultũ licitumve quàm cum illis? Adductæ rationes & motivæ Romano Catholicos omni ſpirituali communione excludentes, fidem ad ſalutem neceſſariam non attingunt, ſed intereſſe non tàm Eccleſiæ quàm curiæ Romanæ, Regni Pontificii Statum præſentem ejusdemque firmamentum concernunt. Temporalem Eccleſiæ felicitatem promoventia ſubſidia, ſine quibus ei miniſtrantes vitam honeſtè tolerare nequeunt, non quidem ſunt primario cenſenda loco, non ſunt inſtillatis rudi plebeculæ ſuperſtitionibus, non Purgatorii ignis terriculamento, extorto precio redemtionis animæ, accumulanda; neque tamen illa, quæ neceſſitas poſtulat, ſusque deque habenda; non ſunt negligenda, ſed honeſtis & licitis mediis parta, in uſus publicos, cùm miniſtrantium tùm pauperum, quos ſemper habemus nobiscum, ſolamen, conſervanda: Dei tamen gloriam & ſpiritualem Eccleſiæ ſalutem attinentibus poſtponenda. Facturos hoc in Papatu paupertatem profeſſos & nihil proprii poſſidentes, in affluente tamen omnium vitæ ſubſidiorum ſufficientiâ viventes; in Divini nominis honorem & reverentiam, abuſibus & corruptelis renunciaturos, *dogmata, queis emolumenti multum ſubeſt*, dimiſſuros, myſterium eſt, atque non immerito dubitavit Dn. Pufendorffius. Qui ſupponit igitur, quod in omni Papatu, nihil bonæ frugis ſit reliquum, quod turpes Papalis Curiæ ſqualores Sedem Romanam ſic inundaverint, ut pietate, vero veri Dei cultu, fideque ſalutiferâ ſubmerſis & ſuffocatis, dominandi & tyrannicè regnandi ſiti inebriati Romanæ urbis Præſules, colore & obtentu Chriſtianismi, omne quod Chriſtiano nominatur nomine, in durum ſubigere jugum, quin imò in orbem

bem universum imperium obtinere intendant: qui talia, inquam, ponit & substernit, ille facili negotio confecturus est argumentum, cujus conclusionem *renovatum antiquæ servitutis jugum*, ingrediatur. Ecquis verò isthoc constituto precio, unionem & cum Curiâ Romanâ Ecclesiave mercetur communionem? Moraliter igitur impossibilis quamvis sit, cum Romanâ Ecclesiâ reunio, nullus tamen non tolerantiæ relinquitur locus: siquidem animo tolerandum est non iniquo, quod mutare est nefas. Tolerantia tamen veritati fraudi esse non debet, sed sic est temperanda, ne vel agnita veritas, per quam salvantur omnes quotquot salvantur, vel parta Religionis libertas, per nostram sive indulgentiam sive socordiam, quidquam patiatur detrimenti. Interim possibilem & extremam impendere operam, ut circa Sanctæ Religionis dogmata dissidentium Christianorum collisio infringatur, atque nata inde & publice & privatim nocitura odia non augeantur, non exacerbentur, sed mitigentur & minuantur, Christiani Theologi officium flagitat. Defunctus autem ille isthoc officio fuerit, si in tuto collocatâ veritate fundamentali, internecinum odium alentibus rixis & contentionibus, fomentum non ministraverit, si oleum igni non affuderit, sed ut flamma, quæ satis diu arsit, & Christianam charitatem saltem non penitus exussit, suffocetur, omnem moverit lapidem. Et, si humanarum virium non sit, irreconciliabilia conciliare, conciliandi tamen studium, votum & desiderium ubi contestatus, tantum, quantum in se est, præstiterit, & Divinum & conscientiæ forum subire poterit imperterritus.

DEMoraliter impossibili Re-unione, Tolerantiæ relinquitur locus.

§. 45. Cæterùm, qui in Ecclesias particulares quidem, longè lateque tamen per orbem Christianum diffusas introspiciunt, monoculi non esse, sed alterum in vitia & corruptelas, alterum, in virtutes atque salutaris doctrinæ reli-

Prout vitia damnãda, ita laudanda etiã in hoste virtus.

reliquias convertere debent : quippè quod ipſa æquitatis lex poſtulat. Horum neutrum inſuper habuit B. Calixtus. Nec de legitimâ veri poſſeſſione aliquid illis detraxit, nec falſorum dogmatum dedecus, vel palliavit vel occultavit, ſed integris Commentariis atque in publicâ luce poſitis Diſputationibus, non ſuperficiali operâ ſed ſolidè impugnavit. Teſtibus aliis tempus non eget quàm illis, qui jam dudum publicum & exceptione majus perhibuerunt teſtimonium. Horum vicem ſubeant illa, quæ Infallibilitati Pontificiæ, quæ Viſibili Eccleſiaſticæ Monarchiæ, quæ fatuo Purgatorio igni, quæ Transſubſtantioni, quæ Communioni ſub unâ, quæ Miſſis ſolitariis & pluribus aliis Pontificiis propriis dogmatibus oppoſuit ſcripta. Coram Sereniſſimo Dn. Erneſto Haſſiæ Landgravio, Eccleſiæ ad quam inconſulto conſilio ille properabat, turpitudines haud occultavit, ſed cordatè, verbis, quæ repetimus, detexit: *Diximus, Eccleſiam, in quâ Romanus Pontifex ſedet & dominatur, tot & tantis infectam eſſe ſuperſtitionibus & corruptelis, & abſurdis improbisq; figmentis, certæ & veræ doctrinæ ſuperadditis, ad enormem quæſtum & adſerandam Presbyteris ſuper omnes mortales eminentiam, & vindicandum Pontifici univerſale quoddam orbis imperium comparatis, ut qui intelligat, ſi ſibi conſcientiam ſuam illæſam, & gratiam Dei integram eſſe cupiat, probare & adſtipulari nullo modo poſſit.* Hoccine verò eſt, inveteratorum inflammationes ulcerum illito unguento lenire, vel applicato emplaſtro tegere, aut palliare, ne compareant? Dicturi potius ſunt ipſi illi, qui talibus uruntur ulceribus, acriori aceto ſic illa eſſe fricata, ut doloris ſenſus, peroſa ad usque medullam penetraverit.

§. 46. Ecquid verò in Pontificiâ Eccleſiâ intumeſcentes abuſus, graſſantes ſuperſtitiones, multiplicatæ dogma-

dogmatum corruptelæ, atque his superinducta Ecclesiastici Regiminis tyrannis, horrenda dictuque mirabilia alens monstra ejus est monetæ, quæ tolerata atque in Christianam admissa societatem, venire queat in commercium? Imitandos hîc duxerim lucrantis Mercurii filios, qui adesam & amputatam monetam, à solidâ & integrâ separant. Occurrunt hîc scilicet duo hominum genera, quorum unum mutilatæ, alterum integræ monetæ assimilari potest. Ad primam bonorum classem, redigendi fuerint illi, qui quamvis errent nec exitialiter tamen nec *scientes* vel *intelligentes*, sed *invincibili ignorantiâ superati* errant; de reliquo nullis surgentibus, nullis angentibus dubitationibus, non ullo tanguntur erroris sensu. Alteram malorum classem, occupent prioribus peiores, *intelligentes* quidem, sed *obstinati*, qui errorem non per quandam intellectus imbecillitatem, sed voluntatis suadente improbitate atque stimulante malitiâ retinent, semelque probatum cum pervicaciâ defendunt & propugnant. Quorum intellectus aciem Pontificiæ aulæ splendor obtudit, voluntatemque torsit in obliquum, illi ut Vejovis Romani potentiam amplificent, Cleri dignitatem evehant in sublime, divitemque hujus gazam locupletent, veritatem quam agnoverunt habentque compertam, sic laniant, sic castrant, sicut monetam circumrodentes sorices mutilare consueverunt. Talium si non minor in Pontificali quàm in Angliæ Regno hodie est numerus, deterior illius quàm hujus erit conditio. Quia igitur non eadem est omnibus mens, hujusque arcana, ne quisquam in fronte scripta gerit, & præsumptio semper esse debeat in melius, non eodem utrosque metiri licet pede, sed alio hi alio illi sunt æstimandi precio, alii absolvendi alii damnandi. Electores, Principes,

& Imperii Ordines præiverunt viamque quâ incedendum, in Præfatione Formulæ Concordiæ libro præmiſsâ, commonſtrarunt. Proteſtantur ibi de *Damnatione*, aliis præterquam *Pervicacibus Doctoribus* intentatâ. Horum *conſilium & inſtitutum nequaquam eſſe*, ajunt, *homines qui ex quadam animi ſimplicitate errant, nec tamen blaſphemi in veritatem doctrinæ cœleſtis ſunt, multò verò minus totas Eccleſias quæ vel in Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi ſunt damnare. Quin potius mens atq; animus noſter*, dicunt, *fuerit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem* PERVICACES *Doctores & blaſphemos duntaxat (quos in ditionibus Eccleſiis, & Scholis noſtris nequaquam tolerandos judicamus) palàm reprehendere & damnare*, & quæ ibi ſequuntur. Perfica- cia autem occulta quum ſit labes, malignitate iſta correpti, Deo cordium ſcrutatori, ſunt relinquendi. Nihil ab iſtâ Confeſſorum ſententiâ alienum, de pervicacibus, qui repugnante conſcientiâ errorem doceant vel tueantur Conſultationis hujus Auctor, ejusdem Num. LXXIX. mutuatis à B. Luthero verbis ſcripſit; *Tales ſi qui ſint, & nobis tales eſſe conſtet, poterimus de iis cum Lutbero dicere* : Es ſoll und kan niemand von den Chriſten für die Schwermer beten/ noch ſich ihrer annehmen. Sie ſind da hin gegeben und ſündigen zum tode. Confeſ. Min. Tomo 8. Jenenſ. pag. 176. In mentis autem penetralia quum introſpicere nequeamus, pervicaciæ damnare quenquam noſtrum non eſt. Et quamvis præſumtio inclinare debeat in melius, ſunt tamen iſtorum iniquitatis myſteriorum aliqua usque adeò putida, & apertè falſa, ut vel cæcum eſſe oporteat, qui non viderit, vel ſtupidum qui fucum undique pellucentem non agnoverit. A parte Pontificiâ igitur ſtantium Doctorum non pauci, quum haud vulgari eruditione ſint muniti, Scripturæ & Eccleſiaſticæ antiquitatis notitiâ ſubacti, vero haud

fit

fit ſimile, tàm craſſo eos opprimi ſtupore, ſanæque mentis operationes usque adeò obtundi, ut acutum aliàs videntes, non videant, quod non poſſent non, mens ſi leva non eſſet, videre, nempè quæ pro antiquis venditant nova, & falſa quæ propugnant dogmata, eſſe talia qualia eſſe ſumus profeſſi. Prius illis adblandiens encomium quum manu utraque ceu illis honorificum, ſint amplexuri, non poterunt etiam non agnoſcere, quod illaudabili partium & theſin obſtinatè defendendi ſtudio abrepti, in pervicaciæ ſuſpicionem ſemet ipſos agant præcipites. Quid verò rebus ſic malè comparatis, illis eſt faciendum? Numquid ſine diſcrimine omnes & ſinguli damnandi? Vel non obſtantibus illis ſatis quamvis craſſis erroribus, tamen ceu Chriſtiani, caritate & tolerantiâ digni, cenſeri merentur? Temperamentum hîc adhibet idem ille qui ſupra. Diſcernit ſcilicet à *ſcientibus & intelligentibus*, iniquitatis myſteriorum non conſcios, ſed *Ignorantes*: quorum tamen ignorantia non ſit affectata ſed pro intellectus conditione, inſuperabilis. De *prioribus* cordatè, procul odio, procul amore, dicit quod res eſt. Nempè quod illi, qui ſuperius tactas & memoratas corruptelas, tales eſſe quales in rei veritate ſunt *intelligunt, ſi ſibi conſcientiam ſuam illæſam, & gratiam Dei integram eſſe cupiant, probare & adſtipulari nullo modo poſſint.* Quid autem de illis qui conſcientiam violant, gratiamque Dei integram non retinent ſed excutiunt, ſit ſtatuendum, ex ſe liquet, nec interprete indiget. Extra omnem dubitationem ſcilicet, *ſibi iram Dei & damnationem attrahunt*, ſicut idem qui ſupra, eſt effatus.

§. 47. *Poſteriores* quod attinet, æquiſſimus arbiter, pro ſuâ ſibi inſitâ æquitate, in ſententiam & partem deſcendit mitiorem, in φιλανθρώπιᾳ fundatam commiſeratione & ignoſcentiâ, ex intimis miſericordiæ erumpente viſceribus,

bus, atque emanante in omnes, qui per nativam intellectus tarditatem magis quàm ex destinatâ malitiâ in lapidem non cautum impingunt. *Ignorantibus*, ait, *eaq; conditione natis & positis, ut ignorantiam excutere nequeant*, quorum tamen multo maximus est numerus, *ignoscat Pater misericordiarum, per unigenitum suum Filium Jesum Christum θεάνθρωπον, in quem credere, & in cujus merito & morte, spem & fiduciam, ut nunc equidem suppono, collocare non desinant. Perquam solam fidem eos salvari, & per meram ignorantiam, pro conditione hominum, locorum, temporum insuperabilem excusari persuasus sum.* Quibus verò ignoscit Pater misericordiarum, quare nos non ignoscamus? Quorum misereretur, quare nos non misereamur? Quos ille vult salvos, quare nos condemnemus? Quare eos quos ille in cœlis ut hæredes vitæ est toleraturus, nos ut concorpores non toleremus?

§. 48. Postquam verò oculo in Pontificiorum vitia intento, horum cùm Sacræ Scripturæ tùm Ecclesiasticæ antiquitatis testimonio nudata, his propria dogmata, acri notavit censurâ, æquitatis legis memor, in illa per quæ fidei & salutis fundamentum inviolatum asservatur, alterum oculum convertit. *Neq; negamus*, inquit, *Ecclesiam in quâ Pontifex sedet & dominatur, quæq; ei subjicitur, & proinde communionis cum eo particeps est, hodie per Imperium Hispanicum, Italiamq;, & partes Germaniæ, Galliæ, Hungariæ & Poloniæ diffusa, partem esse veræ Ecclesiæ, in quâ tantum veritatis ad salutem necessariæ supersit, ut per hanc cognitam & creditam, servari homines possint, modò integritas vitæ & innocentia morum, non desit.* Subsistit autem *illud veritatis ad salutem necessariæ, quod supereſſe* affirmat, in perhibito cardinalibus Symbolis, Apostolico, Nicæno & Athanasiano, adsensu & approbatione, universaliter receptæ meliorum

Hypoth. triū Symb. sufficientiā substernēs.

rum puriorumque seculorum doctrinæ conformi. Quicunque igitur Symbolis istis eam tribuunt sufficientiam, ut per veritatem inde cognitam & fidem cognitis perhibitam, servari homines posse supponant, illi non possunt non ita credentes in Christianorum admittere consortium, atque ad inde non excludendum, sed ceu veros veri nominis Christianos æstimandum, in conscientia sunt obligati. Si hoc, ad eosdem Christianâ charitate amplectendum, atque spirituali tolerandum tolerantiâ, nihilo quàm ad prius obligantur minus.

§. 49. Ad Pontificios & Reformatos ista reducere & applicare si placuerit, utrosque tria œcumenica Symbola, non admittere sed hæreticè depravare, atque ideò non veros veri nominis Christianos, sed Hæreticos esse, aut est statuendum, aut, si illud statuere non licet, admittendum, quod utrique & Christianâ charitate & tolerantiâ digni sint habendi, ad quos ceu veros veri nominis Christianos diligendum, & spirituali tolerandum tolerantiâ obligemur in conscientia. Hypocheseos applicato.

§. 50. Si qui sint qui ambigant, atq; in utram vel affirmantem vel negantẽ partem condescendere debeant dubitaverint, illi S. Romano-Germanici Imperii Electorum, Principum Ordinumq; vestigia legant, & ubi à viâ quã calcarunt illi non declinaverint, recto tramite incedere & pede subsistere firmo, dicturi sunt omnes, qui Reformatoribus istis non ferunt ullos aut gloriâ clariores, aut authoritate graviores. At illos vel Pontificios vel Reformatos Hæreticorum, fidei fundamentum immotum non relinquentium loco, haud quaquam habuisse, ceu formales Hæreticos nullibi hos illosve declarasse, alibi satis operosè demonstratum dedimus. Pontificios quod attinet, illos tempore exhibitæ Confessionis per Confessores Hæreseos esse vel accusatos

cusatos vel condemnatos, tàm procul abest, ut sibi impactum Hæreseos crimen, in impingentes non retorserint. Sufficere potius existimarunt si horum doctrinæ à parte adversâ affricatam hæreseos maculam, deterserint atque intentatum crimen à sese fuerint amoliti. Quod si verò accusatores ipsos Hæreticè errasse credidissent, certè ejusdem criminis horum errores, in passæ injuriæ compensationem, postulare licuisset. Sed non postularunt; Hæreticè utique eos errare non crediderunt. De quâ moderatione videatur Augustanæ Confessionis Epilogi pars prior.

§. 51. Pro *Reformatis*, ipsi glorioſæ memoriæ Confessores, in Præfatione Formulæ Concordiæ præmissâ, intercedunt, quippè qui ibi protestantur *sibi propositum nunquam fuisse* ista *piæ conciliationis Formulâ*, *molestiam aut periculum creare* PIIS, *qui persequutionem* in Gallia *patiantur*. Imò CHRISTIANA CHARITATE *motos*, *in societatem doloris cum iis dudum venisse*, palàm profitentur. Quod si itaque non pro veris veri nominis Christianis, sed pro Hæreticis formaliter talibus, Reformatos habuissent, quomodo PIORUM encomio eos fuissent dignati? Quæ Hæreticis, publico quidem & solenni Electorum, Principum, Ordinumque Sacri Imperii suffragio, tribuenda PIETAS? Numquid etiam illis, qui re verâ non sunt Christiani, sed Christianorum nomen mentiuntur, *charitatem Christianam*, quam ejusdem fidei operatur professio & consortium, debemus?

§. 52. Non debent nata circa Religionem dissidia, in eum erumpere nervum, in quem civilia quæ non propter Religionem sed Regionem & prorogandorum finium limitumve gratiâ geruntur, bella erumpere, frequens, saltem non quotidiana docet experientia. Nempè quibus

in

in regionibus bella tument, ibi legitimos terrarum Dominos, de antiquâ possessione dejicere, fas est, & à jure belli accersitus possessionis titulus, & honorificus & justus habetur. Ast non eo erga invicem animo esse debent, qui sacra Domini bella gerunt. Non debent quenquam de legitimâ Christianismi possessione deturbare. An verò hi illive legitimi sint Christianismi possessores, an potius Christi Regnum in unius particularis Ecclesiæ angustum arctatum sit angulum, quæstio est pilæ Erydosve pomi instar, jactata & agitata. Me quidem, qui in illud certamen, violentâ illorum manu, qui pii Parentis mei benè partam existimationem lacerare sunt ausi, decertati certaminis tædium jam dudum quidem cepit, nec tamen illorum, quæ de his illisve vel Christianè tolerandis, vel universim de Calixtino concordiæ Ecclesiasticæ studio & desiderio, in publico Ecclesiæ theatro ultra citraq; sunt gesta, utpote quæ rectis nituntur fundamentis, pudet pœnitetve, animus tamen meminisse horret. Et qui meminisse non horeat animus? Siquidem quod effatus est Dn. Pufendorffius, ex re & vero dictum esse, magno meo expertus sum & damno & malo. Nempè quod propter horum cum quibus conflictatus sum, *præjudiciorum pervicaciam, tùm propter* eorundem *ingenii superbiam, alios sapientiores videri dedignantem, ac vel in odium* B. Calixti, *semel placita tueri pertinacem, operam in cassum consumserim*, & excitis haud meâ culpâ, in Ecclesia turbis intrusus, multa sustinuerim indigna. In ista igitur, quæ hac vice, non alium in finem quàm hunc unum ut solum, ut piam Paternam intentionem, dilucidè ponerem ob oculos, sum commentatus, nulla involantis violentia, inductura me est, ut circa ista contentionis serram in posterum reciprocare præsumam. Ante actorum censuram, æquis & intelligentibus censoribus relinquere, horumque limato

limato judicio ſubmittere, haud equidem reformido. Interim tamen uno, alibi non tacto exemplo, rei inique exoſæ evidentem cum lege Imperii publicâ convenientiam demonſtrare nunc liceat. Suggerunt illud imparia inter Chriſtianos inita & contracta conjugia. *Imparia*, dico, non quidem ratione contrahentium vel dignitatis, vel prærogativæ alicujus mundanæ & ſecularis, ſed ſpiritualis, nempè diſcrepantium Religionum (ut more in vulgus conſueto nunc loquar) intuitu. Talia connubia licita eſſe, Regum, Principum, Nobilium ignobiliumque, plebeorum, tàm minimorum quàm medioximorum docent & teſtantur exempla, adeò manifeſta, ut nihilo magis res iſta probatione, quam illud quod in vulgus eſt notum indigeat.

Imparia in ordine ad Religionẽ, conjugia.

§. 53. Cæterùm contingit quandoque inter conjugatos, ut illi qui vel potentiâ vel opibus prævalent, ſortis minus vel validæ vel opimæ partem, in ſacrorum, pridem haud probatorum, alliciat communionem. Vicisſim conjugalis amor, nonnunquam ſic flagrat, ut pars ſequior imbecilliorque, vincat validiorem. Exempla non ſunt rara, ſed odioſa, & quia odioſa, illorum allegationem averſor. Aliàs ſi æquales cum æqualibus quos fortuna ex æquo reſpexit, contrahant, ſpirituali liberorum educationi, per pacta & conventiones proſpicitur & conſulitur. Nec tamen ſanctio talis, legi immutabili alligata ſed libera eſt. Iſta verò tranſigendi libertas efficit, ut natorum educatio vel uniformis ſit vel difformis. *Uniformis* exemplum educationis eſto, ſi utriusque ſexus proles, in alterutrâ tantùm, vel Paternâ vel Maternâ Religione educatur. *Difformis* exemplum tunc ſeſe exſerit, quando maſcula proles Paternis, ſequioris ſexus ſoboles, Maternis adſuevit ſacris. Tale verò pactum, utriusque Religionis in ſalutis fundamento integritatem ſupponit, certè ſi paciſcentes Chriſtiani haberi

haberi velint, ſupponere debent. Nempè quod utraque contrahentium Religio, vera Chriſtiana ſit Religio, in quâ ſalus æterna obtineri queat. Enim verò, niſi hypotheſis per quam utrique contrahentium parti, veri Chriſtianismi atque ſalvificæ Religionis relinquatur poſſeſſio, ſubſternatur, connubiale pactum inter diverſæ Religionis perſonas, omninò foret illicitum & abominandum. Ecquis enim ex ſe natorum ſalutis, ſic poſſet eſſe prodigus, ut filios filiasve, talem Religionem amplecti & colere admittat patiaturque, in quâ haud fore ſalvos, ſed has illosve æternum perituros noverit.

§. 54. Temporalis boni jacturam ſi mens humana horret & reformidat, carorum pignorum æterni boni, animarum jacturam multò horrebit magis & reformidabit peius. Aut igitur Magiſtratum talia permittentem, & permittendo probantem connubia, credere oportet, in utraque diſcrepante Religione, fidei ſalutiferæ fundamentum ſalvum & integrum relinqui, aut ſciens volensque, æternæ damnationi involverit omnes, ex impari, quo ad Religionem, conjugio genitos & prognatos. Theologos autem qui ſtatuunt & contendunt, in alterutrâ contrahentium parte, fidei ſalutiferæ fundamentum non relinqui ſalvum integrumque, ſtatuere quoque oportet connubialia fœdera, inter diverſæ Religionis ſocios inita, illicita & mortifera eſſe, quippè quæ æternæ damnationi aliquos, in tali conjugio genitos & prognatos, involvant. Statuerint igitur aliquid, ei quod Romano Germanicum Imperium univerſum ſtatuit, è diametro oppoſitum atque adverſum. Et hoc igitur & illi, contradictioni obnoxia, quorum utraque ſimul vera eſſe haud poſſunt, ſtatuerint.

§. 55. Eſt quidem Matrimonium contractus civilis, qui tamen ſi cum inevitabili animarum interitu foret conjun- Matrimonium contractus civilis.

conjunctus, inter Christianos nullo prætextu esset tolerandus, haud quaquam inter licitos Christianis non indecoros admittendus. Quia tamen inter Christianos universos, extra & intra Romano Germanicum Imperium non tantùm toleratur, sed liciti instar contractus permittitur & permittendo probatur, nullo alio nisi unicæ hypotheseos respectu permitti & probari poterit: nempè quod utraque per connubiale pactum sociata Religio, fundamentum salutis salvum integrumque retineat. Absque eo si foret, non ullus tàm honestus, tàm plausibilis prætextus inveniri poterit, cujus intuitu, inter non indecoros, non illicitos, Christianæ sinceritati & sanctitati non adversantes contractus referri mereatur. Ista verò si recto subsistunt talo, si talia connubialia pacta, vel ineuntes vel permittentes, publicaque auctoritate ratificantes, non peccant, non tale quid, quod æternæ animarũ saluti officiat, perpetrant vel permittunt, certè civilis ille contractus haud sic poterit esse comparatus, ut inevitabilis animarum interitus eum excipiat & comitetur. Tanto cum damno, vel cum dubii saltem eventus periculo conjunctus contractus, in Christianâ Republ. haud quaquam tolerandus, sed ut planè illicitus, omninò damnandus fuerit, non quidem ut est civilis, verùm ut spiritualis animarum vel salus vel interitus ab eo dependet.

Conjugia quo ad Religionem disparia dissuadenda.

§. 56. Verùm enim verò quum unicuique arbitrii libertas relinquatur integra, nec quenquam ulla cogat necessitas, ad eligendum conjugium quod nullâ quidem lege publicâ sit prohibitum, nullo tamen etiam non inconvenienti obnoxium, alia hîc emergit quæstio: *Anne ad conjugia in ordine ad Religionem disparia, ineundum suadere, ad consummandum consulere queat mediocri saltem vel Theologicâ vel seculari prudentiâ munitus?* Hîc ad illos qui in partem eunt negantem equidem appropinquaverim. Quantumvis

tumvis enim extra æternæ ſalutis ſubeundum periculum talia cadant conjugia, tàm gravibus tamen præmuntur noxam daturis incommodis, ut in conſilium vocatus diſſuadere & cavere teneatur, ne partes contrahentes præcipitanter agant, quod re non amplius integrâ, mutare laborent. Inconvenientia autem talia quamvis non ſint neceſſarii eventus, non tamen raro evenire, eorum docent exempla, quos ad Religionem in quâ nati ſunt & educati, commutandam cum adversâ, initum diſpar connubiale fœdus induxit. Taceo infinitam malorum ſegetem, ad uberes ferendum fructus per ſacrorum diſcordiam fœcundatam. Horum frugum primitias, *diffidentia* inter illos qui maximè confidere invicem debebant, immolat. Deinde in ſacro iſtoc ſolo naſcitur ſenſimque excreſſit infelix lolium, *ſimultates* aliquantisper quidem tegens, at non ſuffocans, quod ubi adoleverit, inopem pacis domum, peſſundaturis repleturum eſt *odiis*. Et quid de naturali, in ſuccreſcentem prolem deſcendente amore, dicendum? Ecquid mirum, ſi nec amor paternus, pari in natorum utrumque genus deſcendat paſſu, nec filialis ex æquo ad parentem adſcendat utramque? Sicut ex uno eodemque ſanguinis fonte emanans fraterna charitas perennat, ita quoque conformis ſacrorum feſtivitas & cultus, maritalem fovet & accendit favorem, difformis, extinguit & ſaltem non enecat.

§. 57. Atque iſta de connubiali inter Chriſtianos nullâ publicâ lege interdicto fœdere; de non illicito ſed infinitis atque exceptione majoribus exemplis approbato contractu, in conſtantiæ non ullo rationum pondere in levam depreſſæ teſtimonium, memorare, ſimul ac pedem hîc ſiſtere, atque à ſuſtentato hactenus onere levare me volui. Hoc verò ipſum non ullâ ad bonam cauſam de-

ſerendam urgente neceſſitate adactus, ſed ideò facio, quod lampada de tabeſcente aſſiduisq; laboribus languidâ factâ manu, in viguroſas, curſu, quod dicitur, tradere, imminens ætatis ruina vitæq; reliquias ablatura dies ſuadeat. Ad Paternam tumbam ſuſpenſa lampas iſta, cujus lumen, meâ qualicunque operâ affuſo oleo arſit, nec dum, afflantibus quamvis furentibus ventis, ardere deſiit, ardeat poſt mea fata perpetim, pacificis Dei filiis data in cuſtodiam. Quibus equidem benigniorem quàm mihi obtigit, apprecor fortunam, quamvis eam promittere illis vix audeam, eò quod oculorum lumina in quamcunque partem circumferenti, ubiq; in occurſum veniunt ſic adfecti, ut Divini nominis gloriæ, Eccleſiæ tranquillitatis, proximi propriæque ſalutis, atque cœleſtis veritatis ſtudio, ſua præferant compendia & commoda: extremo cautum ituri conatu, ne vel errorum agnitio, horum authoritati & eminentiæ aliquid deterat, vel corruptelarum emendatio, deſertis opimos fructus facientibus dogmatibus, pigri ventres, à Miſſæ officio ad *Vertenda glebas aratra*, redigantur.

Proteſtantium conciliator Pufendorffius

§. 58. Miſſis verò nunc Miſſificis iſtis, quibus Miſſæ pro animarum redemtione faciendæ, ſunt venales, ad Proteſtantium Pacificatorem Dn. Pufendorffium revertamur. Scenam autem ille ingreſſus paſſus proceros ultra *Reformatorum*, hac *Conſultatione* commendatam, *Tolerantiam* profert, magnoque animo ipſum Schisma adortus, in illo abolendo occupatur. Rationes igitur ad rem magnam audendi authorem inducentes, nunc forent expendendæ, ſi operoſi operis molimini, temporis paginæque non reſiſteret anguſtia. Quâ propter rem gravem levi tangere digito, fas ſi eſſet, affirmare haud vererer, quod vir prudens, ſi intentam *Particularem Eccleſiaſticam Pacem*, ſucceſſu felici eſſet emolitus, ad ampliora audendum, atque

cum

cum tertiâ validâ parte, ſimile tentandum, viam, præter conceptam mente intentionem, ſtraverit pronam; eò quod *Generalem ſeu Univerſalem Pacem* difficultantibus impedimentis ſemotis, inſcius & incautus promotum iverit. Etenim conciliatis illis, quibus communis imminet hoſtis, ad hunc è Sacræ Scripturæ codice accerſitis idoniis efficacibusque argumentis, conſertis dextris fortius ſtringendum vinciendumque, arctius uniti vires indipiſcuntur ſolidiores.

§. 59. Solos autem Proteſtantes attinens negotium, non ſic videtur ſpiſſum, quin facilioris ſit expeditionis quàm univerſorũ eſt conciliatio; ſiquidẽ nulla non inter illos ſe exſerit conciliationẽ faciliatura cognatio. Quod ſi enim inter tales, qui cõmuni & eodẽ gentili familiæve nominantur nomine, quo ſicut caractere diſcretivo diſcernantur ab aliis, talis intercedit cognatio, qualis inter eos quibus cõmune eſt militare ſymbolũ, & qui ſub eodẽ ſigno militant eſſe conſuevit, arctiori nexu Reformatos quàm Pontificios conjunctos nobis eſſe oportet. Promiſcuè enim & illi & nos *Proteſtantium* nomine indigitamur, atq; eſt denominatio iſta non uni parti propria, ſed ſic utrique communis, ut per illam non unius partis ab alterâ ſeparatæ, ſed utriusque junctim ſumtæ, fiat indicium. Denominationis ratio non longè eſt petenda, quippè quam ipſa vis vocis manifeſtat. Nempè *Proteſtatio* Jurisconſultorum verbum eſt, quo illi utuntur ad manifeſtè denunciandum ſi quid cautum & non fieri velint. Pii igitur majores noſtri neceſſariæ Reformationis auctores, adverſus irrumpentes in Eccleſiam ſuperſtitiones, abuſus & multiplices corruptelas Proteſtationem interpoſuerunt, publiceque denunciarunt, quod talia in Chriſtiano cætu cautum eant & non fieri velint: atque hinc *Proteſtantium* indepti ſunt nomen.

PROTESTANTIUM reformatoribus commune nomen.

Reformati. §. 60. *Reformatorum*, ceu proprio ipsisque solis competente nomine qui utuntur, magis sunt generosi quàm ut ab uno homine, Calvino, denominari velint. Reformati audire, & ceu Reformatores Ecclesiastici haberi malunt: quod illis haud quidem invidendum, quamvis non his tribuendum solis, sed nobis quoque, qui Ecclesias nostras expurgatis abusibus & abdicatis superstitionibus, tersius quàm illi suas, reformavimus competat.

Lutherani. §. 61 *Lutheranorum* titulo nos insignire detrectant, quod Christianorum appellationes, à rebus ipsis potiùs & doctrinâ, quàm à particulari aliquo homine, accersendas esse censeant. Quâ propter honorifico Evangelicorum encomio nos dignari, quàm Lutheranos appellare malunt. Quia verò nec illi ab Evangelio, nec nos à Reformationis negotio sic sumus alienandi & segregandi, quasi nobis solis Evanglicorum, illis Reformatorum prædicatum, instar notæ discretivæ competat, cautione opus est, ne in alterutrius partis præjudicium, huic illive, ejus quod utraque æquo jure possidet, tribuatur proprietas. Ubi itum est in partes, ibi charactere opus fuit discretivo. Vicissim pluribus impositum commune nomen, communia portendit studia. Tale, *Protestantium* est nomen, Evangelicis & Reformatis appropriatum, quia nativâ significationis virtute protestationem interponendi, utrisque incumbens studium notat. Ista autem nominis ad eos inter quos alioqui universim non benè convenit appropriatio efficit, ut in medio Schismatis hiatu, vis sese exserat coactiva, quæ in tantùm quantùm causa postulat communis, conspirare & conglomerare dextras (siquidem vis unita fortior) jubet. At quomodo conspirandum? numquid ita, ut in pernitiem tertii conjuremus? Hoc Deus nolit. Iste Cretensium malus mos erat, nec probandus nec imitandus.

Evangelici.

Protestantes.

Studium

Studium enim & desiderium pacis Ecclesiasticæ, quæ ad tuendam in Imperio, quod illi hospitium præbet, tranquillitatem plurimùm confert, nulli tertio struit exitium; ex amore potius gloriæ Dei surgens, omnium quærit salutem; indissolubili nexu unire animos; inimicitias & dissidia, natáque ex illis odia extinguere intendit.

§. 62. Quando verò suscipitur pacificationis negotium, in ipso pacificantium sinu emergentes collisiones, rem ex se difficilem reddituræ sunt difficiliorem, atque pacem remoraturæ universalem. Quâ propter prudenter egerint, qui impeditura obstacula, maturè, & quasi præliminariter removere allaboraverint. Etenim qui adversus tertium sibi infensum & infestum vel bellum gerunt, vel belligerandi obrepente tædio, pacis, diu suspensa multoties confracta & abjecta consilia readsumunt, hoc agant, ut, si & ipsi inter se disfideant, prius invicem concilientur redeantque ingratiam. Et ubi intra viciniora septa surgentem flammam suffocaverint, ad furnum remotiori in plagâ ardentem extinguendum accurrant. Incendium scilicet quod in proximo exarsit pariete, plus minatur noxæ, quàm eminus & è longinquo affulgens. Nempè eâ mortales sumus indole, ut imminentibus quidem sed remotioribus malis, segnius quàm è re est, occurramus. Sic illa quæ *Michael de Molinos Quietistarum Patriarcha*, Romæ est molitus, eminus, ceu nos non attinentia, sumus intuiti. Posteaquam verò ignis cineri substratus doloso, occultè serpens, rapidâ inflatus ab aurâ, intra Protestantium adactus est viscera, atque inflammam diu pressam exarsit, isti surgenti, manu forti summæque potestatis Edictis occurrendum, incendiumque suffocaturis obruendum fuit machinis. Sed *Charitati hominum maximè parcendum esse*, ait Cicero, *ne temerè in eos dicas qui diliguntur.* Propheta vel fatidicus veri-

Michael de Molinos.

verique providus augur si fuisset Cicero, intercessionem pro Pseudo, post secula venturis, Pietistis eum interposuisse dixerim. Hi enim ipsi sunt illi, qui ideò quod pacem in fronte, & pietatem in ore gerunt, à multis diliguntur. Horum enim qui *extra quidem hominibus apparent justi, intus autem pleni sunt hypocrisi & iniquitate* horum, inquam, faciem vultumque, mentis imaginem, si videris, pacem præseferre adjutricemque pacificis manum ultrò eos porrigere haud difficulter credideris. Sed adjutoribus istis tempus non eget. Facessat se *Umbra mendax pietatis*, procul inde, ubi non mendacio, sed Germanâ fide, candore & sinceritate gererenda res est. Capiant sibi hoc omnes, qui Protestantium inter se conciliationem, pro re desperata & impossibili non habent. Capiant quod cautione & provisione ipsis sit opus, ne interea temporis, dum veteri abolendo Schismati incumbunt, novi semina in proprio spargantur solo. Infelicis autem bonam frugem suffocaturi lolii semina, largè effuseque spargunt illi, qui sub plausibili pietatis prætextu, passim se insinuant, atque plures quàm è re est Christianâ, occupant sibique devinciunt. Nec tamen capiunt alios, nisi vel minus cautos, vel nimis credulos semisanctulorum admiratores. Et quis non miretur ἀναμαρτησίας privilegio donatos non hominum sed Angelorum vivere vitam. At nullibi tuta fides, siquidem ipse quoque Satanas sese in Angelum lucis quandoque transformat. Quamvis verò in simulanda pietate, æquè ac in occultandis vitiis sint felices, eos tamen quibus aliquanto diutius inter hos conversandi imposita est necessitas, tàm masculæ, tàm severæ pietatis carpere experimenta, tantum abest, ut detectâ per seriam indaginem turpitudine, appareat quod auriculas asini Mida quoque Rex habeat. Qui sunt, si Pseudo-Pietistæ non sunt, de quibus

Pseudo-Pietistæ.

Matth. 23. 28.

Imminens novi Schismatis periculum.

quibus Servator noſter prædixit, quod ideò non ſint imitandi, quia ex eorum ſint tribu *qui dicunt & non faciunt*: quia omnia ſua quæ faciunt opera, faciant *ut ſpectentur ab hominibus*: quâ propter *dilatare eos* perhibet *phylacteria*, atque *producere*, in apparentis ſcilicet pietatis argumentum, *palliorum ſuorum fimbrias*. Ex iſtac gente Viſionari prodeunt, qui novas præter Scripturam revelationes, ſicut aviculæ muſcas captant. Prodeunt inde extraordinario, neſcio è quâ nubium conglomeratione erumpente lumine illuminati: quippè quibus *lumen Scripturæ proprium*, nempè Divinitus ei inſita S. Spiritus ἐνέργεια, ad illuminandũ intellectum non eſt ſufficiens. Prodeunt inde Prophetæ, qui Chriſti ſanguine redemtum atque ad futuræ æternæ vitæ felicitatem vocatum populum, in aureas hujus ſeculi expectationes erigentes, ſpe lactant inani. Omnis igitur temporalis ejus felicitatis quam in enumerato habent Chiliaſtæ, ignarum fuiſſe oportet Apoſtolum, qui *omnibus qui in Chriſto Jeſu piè vivere volunt, perſecutiones perferendas* denunciat. Et falſi criminis (abſit blaſphemia verbo) poſtulandus erit ipſe Servator prædicans, quod *Poſtremis temporibus mundi, regnatura ſint ſcelera, quæ diebus Noæ regnarunt; victuros homines quos nulla amoris Dei vel proximi ſcintilla calefecerit? hæreſes tanto niſu in Dei Eccleſiam introductum iri, ut etiam electis de defectionis periculo metuendum ſit.* Prodeunt inde verſipelles, qui *ſecundum exteriorem hominem* in ſpeciem probant, collaudant atque linguâ celebrant, quod in corde, *ſecundum interiorem*, uti loquuntur, *hominem*, rejiciunt & damnant: qui conſcientiam gerunt intus extusque ſic laxatam, ut ne jurantibus quidem tuta ſit perhibenda fides. Prodeunt inde ſpiritu fanatico ſic inflati & tumentes, ut in horum ſupercilio nemo appareat ſatis religioſus, qui prius ipſam & rationem & huic Divinoque Verbo nixam Theologiæ peritiam, non proculcaverit.

PSEUDO PIETISTÆ

VISIONARII.

ILLUMINATI.

CHILIASTÆ.

VERSIPELLES.

FANATICI.

Sed condonandum illud horum eſt fatuitati, quia ſublimioris doctrinæ peritia, nullibi gentium vapulat peius, quàm vervecum in patriâ. Caveant igitur ſibi à ſic illuminatorum luminibus, qui rationalem Chriſtianæ Religionis cultum, inter veræ religionis notas redigere ſunt auſi.

§. 63. Sed nec hujus eſt loci, nec noſtri inſtituti, omnia monſtroſa Sectæ iſtius paradoxa ducere in conſpectum, ſpeciminum ſaltem quorundam faciendum fuit indicium, è quibus abundè conſtet, quàm ſtet Pſeudo Pietiſtica factio, ad novum inter Proteſtantes excitandum Schiſma, in proclivi & præcipitio. Imminentia iſta pericula intuiti, ultrò fatebuntur, monitum de cavendo, ne interim dum pacifica Proteſtantes meditantur conſilia, veteriſque Schiſmati eunt conſultum, novum intra propria naſcatur & excreſcat viſcera, non eſſe de nihilo. Quibus igitur cunque Eccleſiæ ſalus curæ & cordi eſt, hanc peſſundaturis corruptelis, omni virium vi reſiſtant cautumque eant, ne rimis, quas cohibens illas agger jam dudum egit, dilatatis, ſtolidæ inſcitiæ ſatellites, turmatim erumpant inundentque orbem univerſum. Natant manipulares illi vagiq; milites circumcirca atque extrema Patriæ noſtræ littora lambunt: ſed qui natando undoſa frangere vada tentant, hos Principale, Divino inſtinctu ſancitum Edictum, in trajectu ſubmergit. Prius quàm hoc prodiret in publicum, internecina lues, in Ducatus noſtri ſe quidem ingeſſerat mediaſtinum, ſed propinato purgante pharmaco, omnia nauſeam creatura, illa evomuit flegmata. Prohibet Principale Edictum, ne ſanctimonia (ob cujus commendatam obſervantiæ neceſſitatem, multa iniqua ſuſtinuit Julia noſtra) fucatæ pietatis umbrâ obnubiletur. Prohibet, ne in abdito receſſu latitantes nugivendi, in publicum prodire & è latebris erumpere audeant. Prohibet & prohibitura deinceps eſt, omne irruptionis periculum, ſancita Lex, per quam ſtudioſa,

Pietiſtæ novum moliuntur Schiſma.

in

in vetitum prona juventus, in ſuggeſtum Eccleſiaſticum non admittitur prius, quàm in horum orthodoxiam inquirentium ſe ſubmiſerint examini. Ne tamen in medio ſtudiorum curſu remora injiciatur, neve ad ſcopum properantes, huic adſequendo, exercitio priventur neceſſario, fide dignis muniuntur Atteſtatis, ad occluſam aliàs cathedram aperiendam authoratis. DEUS largus piorum operum retributor, Ser^mis Principibus, Patriæ noſtræ Patribus, puritatẽ doctrinæ tuendi ardorem, & in præſenti & futuro ſeculo rependat, atq; ſalutare quod operati ſunt opus, eſſentiali beatitudini appenſis Laureolis, decoret atq; coronet.

§. 64. Fuerunt autem iſti malæ frugis uberes proventus, repræſentandi detegendiq; illis, quos concepta de expiandis mutuis Proteſtantium odiis, & de abolendo tandem Schiſmate ſollicitudo fatigat. Quo usque enim tot ſquamis obſita progenies, in Eccleſia tumultuabitur, non eſt ſperanda tàm alta tranquillitas, quæ vetuſto Schismati conſulturis, faventem ſit adſpiratura auram: ſurgens potius nova tempeſtas, novas tàm diu rotabit vertigines, donec novum proprio in gremio ſufflatum erit Schismatis incendium. Nempè in Proteſtantis Eccleſiæ gremio, requiem & fomentum ſi invenerint per eam graſſantes pſeudonymi Pietiſtæ, tantum daturi ſunt negotii, quantum ad ſufflaminandum ſalutaria pacis conſilia, poterit ſufficere. Quoscunq; igitur ad illa ſuſcipiendum, ſacer religionis ſtimulat inſtinctus, iſti novos motus compeſcant prius, quàm veteribus ſedandis, applicent manus. Quod quàm primum fecerint, viam ſtraviſſe videbuntur, per quam ad *præliminares*, Univerſalem Eccleſiæ pacificationem facilitaturos *tractatus*, inoffenſo in nova obſtacula pede, progredi detur.

Novi motus prius compeſcẽdi quàm veteſti ſedandi.

§. 65. *Præliminares* memoramus *tractatus*, quia Eccleſiæ univerſæ aliquas ſaltem partes earundemque quietem attinentes & concernentes Præliminares iſti tractatus, ſi ceſſerint

ſerint ex voto & ſententiâ, ſpes concipi poterit amplior, invicem conciliatos, Divinâ ope non deſtitutum iri, ad conciliandam, pro irreconciliabili hactenus habitam Romam. Abſit igitur ut ſaxum illud volventibus iraſcamur, illis malignè obſiſtamus, horumve conatus improbemus. Obligamur potius in conſcientiâ, ut talibus & conſilio & operâ, quanta quidem in noſtra ſit facultate, omni virium vi adſiſtamus. Suaſerit hoc ipſum, præſens rerũ facies, atq; ipſa Proteſtantium, quo nunc poſiti ſunt in ſtatu, conditio. Quantumvis enim usq; adeò acutis invicem collidantur contradictionum telis, ut vulnus in hians dilatatum ſit Schiſma, in multò tamen pluribus, in quibus diſſident & procul ab utrisq; abeunt Pontificii, conveniunt & concordant. Ubi igitur communem cauſam communicatio geſſerint conſilio, haud tranſiturum illud eſt in caſſum.

Ab ambiguis loquẽdi formulis abſtinendum.

§. 66. Ad plenum tamen in intentione quidem præſentem, reapſe & in effectu procul remotum conſenſum non ſufficit, nobiscum quidem loqui, nec tamen ex animo ſentire. In ambiguis enim formulis modisque loquendi, quos utraque pars arripere, acceptare atque pro ſuâ interpretari queat ſententiâ, inveniendis, bonum *Bucerum*, Schiſmati extremo conatu reſiſtentem, oleum perdidiſſe & operam, ipſe non ſine animi pacem anhelantis dolore, eſt expertus. Et quàm talia non niſi luſcorum oculos fallentia palliamenta, nihil juverint, quàm nihil ad dirimendas lites & conciliandum emendicandumve conſenſum contulerint, experientia & infelix Sacramentarium certamen, jam dudum docuit, atque iſtorum temporum Hiſtoria pleno loquitur ore.

§. 67. A conatu removendi cauſas Shiſmatis principales & primarias, initium fuerit ducendum. In ceremonialibus ritualibusque externis, qualia juris ſunt non Divini ſed mere humani poſitivi, præſumta vel extor-

ta

ta conformitas, occultum aliquod ſtratagema Politicum in intentione gerere viſum eſt illis, qui ſic inſtructas reformationes eò ſaltem collimare autumant, ut rudi plebeculæ, in illa quæ in oculos & ſenſus incurrunt obtuſum pectoris acumen intendenti, ad arcanorum fundum myſteriorum penetrare haud valenti, ingeneretur opinio, nihil inter utriuſcȝ Eccleſiæ ſtatura intereſſe diſcriminis, & ſic ſenſim in alienam tracta partem, ab unâ tranſilire ad aliam, haud nefas aut illicitum, ſed pro cujuſque libitu, integrum liberumque eſſe credat.

§. 68. Refricat facta ſiniſtræ imputationis mentio, multoties ingeſtæ accuſationis memoriam, quod ſententia ſtatuens, *apud trium circa ſanctæ religionis negotia diſſidentium partium ſingulas, tantum reliquum eſſe ſalutiferæ doctrinæ, quantum ad eorum, qui iſtam ſincero amplectuntur pectore, ſalutem ſufficiat*, pontem ſternat Syncretiſticum, per quem ad quamlibet partem tranſire, atque ab unâ Religione tranſilire liceat ad aliam. Sed iſtud offendiculum prævidens B. Georgius Calixtus, dudum ei obviam & de medio ſemotum ivit, ſub initium Epicriſeos ad Colloq. Thorunienſe, ubi in iſta deſiit verba: *Quamvis igitur fundamenta, quatenus in Articulis fidei, ab intellectu apprehendendis, ſita ſunt, apud quamvis trium illarum partium, integra ſupereſſe videantur, non tamen perinde fuerit, quàm ex illis ſequaris, vel liberum pro libitu ab unâ ad alteram tranſire.* Ad rationes levitatem prohibentes, quamvis ſæpius, etiam in hac ipsâ ad Paternam Conſultationem Commentatiunculâ, digitum intenderim, quia tamen obnitentes ad ſæpius monſtrata animum non intendunt, iterum iterumque ſunt repetenda, & eo usque donec hæreant, inculcanda. *Etiamſi*, inquit, *quæſtio de articulo fidei, propriè ita dicto, directè non moveatur; nemini tamen licet, deciſionem amplecti & profiteri, quam falſam eſſe perſuaſus fuerit, & rejicere ac* Parag. 37. in fine.

damnare eam, quam noverit esse veram: non quidem quod à tali decisione, Deus salutem suspenderit, aut absq; illâ cognitâ & admissâ neminem servari velit, sed quod hominem adeò improbum, ut reluctante conscientiâ falsâ laudet, vera culpet & explodat, ferre nequeat, gratiâ verò suâ & beatitudine dignare planè nolit. Ergo talis salute excidet, non propter errorem intellectus sed pravitatem voluntatis.

§. 69. Cæterùm sicut amicæ collationis exordium, à quæstionibus quæ inter nondum expeditas compositasve controversias familiam ducunt, est accersendum, ita quoque conciliatores inter conferendum, nec captiosâ vocum ambiguitate ludere, debent, nec parti adversæ aliquid quod seriò illa improbat affingere, aut ex hypothesibus minus circumspectè à majoribus substratis, per consequentiarum confractus erroneum dogma, quod illi pro suo non agnoscant, exterebrare fas est. Si tamen inveterati à majoribus in posteros traducti aliqui errores adhæserint, acquiescere nobis licebit in adversæ partis declaratione, quod missum eos in posterum sint facturi, nec ulterius pertinaciter, more aliàs consueto, ursuri, eâ quidem lege, ne eorum quos terra tegit nævi refodiantur, maneant potius cum auctoribus suis sepulti, nec in horum monumenta ingerantur probrosæ, posteritatem afflicturæ, errorum exprobrationes. Nempè cum ignominiâ exprobratus error, ad fortiter obsistendum atque ad palliamenta conquirendum stimulat, quorum inveniendorum operâ, illa quærentes se malint exemptos. Sed quorsum abripior? Præfationis angustia, cujus mensuram jam tùm excessisse mihi videor, reliquarum pondus difficultatum nunc expendere prohibet. Quum tamen illæ nec paucæ sint nec leves, modo quidem relinquantur intactæ, oportuniori tamen tempori locoque reservandæ. Susceptum, verò nitidioris elegantiæ ornamento nudum discursum, terminet coronetque

qúe renovata, plures in imitationem tractura memoria religioſi inſtituti, Sereniſſimi & Potentiſſimi Electoris Palatini, Domini CAROLI LUDOVICI, beatæ & immortalis memoriæ Principis. Nempè ante plures quàm triginta annos, molita eſt Seren^ma ejus Celſitudo, ſarciendæ inter Proteſtantes concordiæ, illuſtre & Principe viro dignum negotium. Fini ſalutari obtinendo media haud inidonea viſa, in eam redigi formam juſſit, quæ cum vocandis in conſilium, in anteceſſum communicari poſſit. Paſſim igitur ordinatis negotiatoribus, qui illud Sanctam Religionem attinens negotium ſeriò pro virili promoverent, Brunſvico-Luneburgicorum Ducatuum, ſententias & inclinationem Theologorum exquirendi munus Sern^ma Ejus Celſitudo mihi clementiſſimè demandaverat. Ad arduam autem Quæſtionem haud deproperanda Reſponſa, è longinquo hinc & inde accerſenda, lentè quum ad me reverterentur, factum eſt ut Sereniſſimus Elector prius quàm animo conceptam menteq; agitatam piam intentionem exequi & in actum deducere potuerit, hac mortalitate exemptus, è mundi theatro avitoque, duris revolutionibus concuſſo, ſimul ac Religionum tricis implexo Palatinatu, in cœleſtem evocaretur patriam. Subſtitit igitur in præliminaribus, atque ſalutares conatus, in herba ſunt ſuffocati. DEUS pacis, qui pacificos filiorum loco habet, recordetur in irâ filiorum ſuorum, horum exaudiens vota, miſerè laceratæ Eccleſiæ miſereatur, atque aliorum corda Magnatum pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ deſiderio, ſic permulgeat, ut redditâ pace ſeculari, de pacandâ Eccleſiâ conſilia aſſumant, atque opitulante Divinâ gratiâ, illud quod glorioſæ memoriæ Elector Palatinus, morte præventus, in rem deducere non potuit, perficiant, laceramque Chriſti Servatoris tunicam, reſarcire allaborent.

De pio Elect. Palatini inſtituto.

§. 70. Faxit DEUS opt. maximus, qui DEUS eſt non

non diſſenſionis ſed charitatis & pacis, faxit inquam, ut omnes qui Jeſum Chriſtum, æterni Patris æternum & unigenitum Filium, Redemtorem agnoſcimus, eadem incedamus regulâ & idem ſapiamus, idem loquamur omnes, ut ſublatis diſſidiis, compacti ſimus eadem mente & eadem ſententiâ: ut quemadmodum unum eſt corpus & unus Spiritus, una eſt ſpes vocationis noſtræ, unus eſt DEUS qui per omnia, qui eſt ſuper omnes & in omnibus nobis, ita quoque omnium ſit cor unum & anima una. Hoc faxit ſummus æternus DEUS, cui ſit laus, honor & gloria in ſeculorum ſecula. Amen.

§. 70. Tu verò Benevole Lector qui extra partes poſitus, nullo captus es præjudicio, tenuia quæ ſalvo omni rectiorum ſententium jure, ad pii Parentis mei de Reformatorum Tolerantiâ Conſultationem, cùm ſtimulante concordiæ Eccleſiaſticæ, hæreditario jure in me devoluto deſiderio, tùm ad declarandam Auctoris in transverſum detortam mentem ſum commentatus, æqui bonique conſule: & ſicubi fortè per humanam imbecillitatem minus providè rem geſſero, vel in concurrentium, diuturnis litigiis fatigatarum partium concepto pacis ſtudio, plus quàm eventus ſit comprobaturus, locavero fiduciæ, propter iſtos mihi nec animadverſos nec prævisos cœcos impedimentorum acervos, non crepitu acrive verborũ ſtrepitu, calida incitatus ab irâ, increpa, ſed comiter, quaſi amicus & benevolus, mone. Quod ubi à Te impetravero, & judicium Tuum, non conſtupratum ſed rectum juſtumq; eſſe intellexero, habiturus me es, benè monenti haud morosè obſiſtentem, ſed in tantum, quantum conſcientiæ permiſſurum eſt dictamen, morigerum & obſequentem. Scripſi in Academia Julia, quæ eſt Helmſtadii Saxonum Anno M DC XCVII.

(o)

BENEVO-

BENEVOLO LECTORI

iteratam ſalutem nunciat

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS

MIraberis procul dubio, Amice Lector, quo conſilio, ad ſublimi indaginis diſſertationem, Calixtinorum ſcriptorum Catalogus, ſit appenſus. Convenientiæ rationes quas allegem equidem non invenio. Stantes ante fores flagitatores extorſerunt obligationem ad comitem dandum Catalogum iſtum, ad quodcunque viri, aliorum editionem anticipaturum ſcriptum. Quicquid igitur hîc ſubeſt incongrui & inconvenientis, præcipitatæ tribuendum promiſſioni, quam violare nefas duxi. Tibi quoque Benevole Lector perinde eſſe poterit, ſive hoc ſive alio magis accommodo loco legeris iſta

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [107] - -
PUBLIC DOMAIN

quorum cognoſcendorum Te tenet deſiderium. Iſta verò quæ in oculos ſe ingerit ſcriptorum in Tomos diſtributio, ad id eſt profutura, ut ſciat emtor, quo ordine particulatim hactenus edita, ſint digerenda & compingenda. Fuerunt autem Tractatus ſinguli ſeorſim edendi, ſiquidem noſtrates vel bibliopolæ vel typographi non ſic ære abundant, ut integris Tomorum voluminibus excudendis impenſas facere valeant. Factum interim eſt, ut quæ ſic ſeparatim ſunt recuſa, prius quàm ſecundam manum applicare potuerit Typographus ſint diſtracta: paſſim igitur hiantes lacunæ ſuppleri deſiderant. Quod ſupplementum de meâ promittere manu, ſtans in præcipitio ætas, prohibet. Interim tamen erit fortè quodam prodire tenus, ſi non dabitur ultra.

Operum

Operum,
D. GEORGII CALIXTI
TOMUS PRIMUS
exhibet

Procœmialia.

Tomi primi pars prima.

APPARATUS, sive Introductio in studium & Disciplinam S. Theologiæ.

Tomi I. pars II.

AUGUSTINUS de Doctrinâ Christianâ, & Vincentii Lerinensis Commonitorium. Quorum ille ad Scripturæ explicationem, hic ad confutationem Hæreticorum viam munit. Cum D. Georgii Calixti Procœmio & summissâ utrique Admonitione ad Lectorem.

Tomi I. pars III.

DIGRESSIO quâ excutitur nova ars, quam commentus est BARTOLDUS NIHUSIUS Apostata: ad omnes Germaniæ Academias Romano Pontifici deditas & subjectas, inprimis Colonienſem.

Tomi I. pars IV.

De Veritate unicæ Religionis Christianæ Disputatio, habita anno cIↃ IↃC XXXIII.

Tomi I. pars V.

Summa Colloquii de Principio credendorum inter Georgium Calixtum Holsatum Catholicum, & P. Augu-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [109] - -
PUBLIC DOMAIN

ſtinum N. Jeſuitam Pontificium. Habiti in Hemelſcheburgo anno cIↃ IↃc XIV. proprid. Kal. vIIbr.

De Sacrâ Scripturâ Theſes Theologicæ P. P. in Acad. Juliâ anno cIↃ IↃc XXXVII.

De Auctoritate Sacræ Scripturæ, & numero librorum Canonicorum V. Teſtamenti contra Pontificios Exercitatio, habita anno cIↃ IↃc XLVIII.

Tomi I. pars VI.

De Auctoritate Antiquitatis Eccleſiaſticæ Diſputatio, habita anno cIↃ IↃ c XXXIX. Cui acceſſit D. Friderici Ulrici Calixti circa idem argumentum Diſputatio, quâ recentiorem quorundam objectiones ſolvuntur.

Tomi I. pars VII.

Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ejusque primorum Oecumenicorum Conciliorum Symbola & Confeſſiones.

TOMUS II.

exhibet

DOGMATICA.

Tomi II. pars I.

De Præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus Diſputationes XV, quæ pridem è Typographeo Calixtino prodierunt.

Epitome Theologiæ cum Declaratione locorum quorundam D. Gerhardi Titii.

De Supremo Judicio liber unus.

De Bono perfectè ſummo, ſive æternâ beatitudine liber unus.

Tomi

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [110] - -
PUBLIC DOMAIN

Tomi II. pars III.

De Deo Disputatio Philosopica habita an. cIↃ IↃc IIX.

De Providentiâ Dei Disputatio Theologica habita anno cIↃ IↃc XVI.

Quæ de SS. Trinitatis Mysterio commentatus est Auctor, hoc loco, cui debebantur exempta, ad Tomum Apologeticorum rejicimus.

Tomi II. pars IV.

De Peccato Disputatio anno cIↃ IↃc XXXVI, pro adipiscendo in Theologiâ supremo gradu habita, Auctore & Respondente M. Paulo Müllero.

De Peccato Originali Dissertatio habita an. cIↃ IↃc XLIX.

De Peccato in Spiritum Sanctum Dissertatio brevis hactenus inedita.

Controversia de caussa Peccati, quæ in Anti-crypto Papismo Buschero oppositio excutitur, ad Tomum Apologeticorum referetur.

Tomi II. pars V.

De gratia Dei erga omnes homines, quod eorum attinet conversionem & salutem Disputatio habita anno cIↃ IↃc XXII.

De æternâ Prædestinatione & Electione Disputatio, habita anno cIↃ IↃc XXXIX.

Huc pertinent Animadversiones in Confessionem Reformatorum Thoruni exhibitam: Judicium etiam de tolerantiâ Reformatorum circa quæstiones inter nos & ipsos controversas, quos tamen tractatus ad Catallactica Tomum referre visum.

Tom. II. pars VI. de Perſonâ Chriſti

Meſſiam jam dudum veniſſe demonſtrat Diſputatio contra Judæos, quæ habita anno cIↃ IↃ c XVI.

Programma de Hæreſi Eutychianâ in Feſto Nativitatis Domini P. P. anno cIↃ IↃ c XXXVII.

De Hæreſi Neſtorianâ eiąue oppoſito Concilio Oecumenico tertio Exercitatio habita anno cIↃ IↃ c XL.

Programma quo controverſia, num Chriſtus ſecundum carnem ſit filius Dei naturalis vel adoptivus excutitur, in Feſto Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti P. P. anno cIↃ IↃ c XLIII.

De Hormisda Romano Pontifice damnante Johannem Maxentium & ſocios Monachos Scythas, adſerentes unum è Trinitate crucifixum eſſe. Scriptum hactenus ineditum.

Tomi II. pars VII.

De Juſtificatione Theſes Theologicæ P. P. anno cIↃ IↃ c XVII.

De gratuita per fidem Juſtificatione Diſputatio habita anno cIↃ IↃ c XXXV.

Ejusdem argumenti juxta doctrinam D. Calixti Diſputatio anno cIↃ IↃ c L. pro adipiſcendo ſummo in Theologiâ gradu habita. Gerhardo Titio Auct. & Reſp.

Tomi II. pars IIX.

De Pactis quæ Deus cum hominibus iniit Legali & Evangelico Tractatus integer.

Epitomes Theologiæ Moralis pars prima.

Tomi II. pars IX, de Sacramentis.

De Sacramentis in genere Diſputationes tres, quarum

rum una habita anno cIↃ IↃc XIV, altera anno cIↃ IↃc XV, tertio anno cIↃ IↃc XIX.

De Baptiſmo Diſputationes tres, quarum una habita anno cIↃ IↃc XIIX, altera anno cIↃ IↃc XXV, tertia anno cIↃ IↃc LIII, pro adipiſcendo ſummo in Theologia gradu, Brandano Dætrio Auct. & Reſpond.

Diſputationes de Sacrâ Cœnâ quatuor habitæ anno cIↃ IↃc XVI, XIIX, XIX & XX.

Diſputatio de Corpore & Sanguine Domini reapſe præſentibus in S. Euchariſtiâ, habita anno cIↃ IↃc XXXVI.

De Transſubſtantiatione Diſputationes duæ habitæ anno cIↃ IↃc LIII.

Georgii Caſſandri de Communione ſub utraque ſpecie Dialogus, una cum aliis ſuperiore ſeculo ſcriptis & actis eodem facientibus. Georgius Calixtus D. edidit, cujus de hac ipsâ controverſiâ Diſputatio & ad Academiam Colonienſem iterata compellatio acceſſit.

De Sacrificio Chriſti ſemel in cruce oblato & initerabili contra Pontificios Diſſertationes tres habitæ anno cIↃ IↃc XLIV.

De Pontificio Miſſæ ſacrificio Tractatus Francofurti ad Mœnum anno cIↃ IↃc XIV excuſus, curante Bartoldo Nihuſio.

De Miſſis ſolitariis contra Pontificios Exercitatio, Reſpondente Henrico Julio Blumen Apoſtatâ, habita anno, cIↃ IↃc XLVII.

Tomi II. pars X.

De Igne Purgatorio, quem credit Eccleſia Romana & orbi Chriſtiano ſub anathemate credendum obtrudit Diſſertatio anno cIↃ IↃc XLIII, pro ſummis in Theologiâ

glâ honoribus impetrandis, ſub D. Georgii Calixti præſidio à Juſto Geſenio habita, cui inſeruntur Vindiciæ Friderici Ulrici Calixti offuciis Johannis Mülmanni Jeſuitæ Monaſterienſis oppoſitæ.

Tomi II. pars XI.

De religiosâ adoratione Diſputatio habita anno cIↃ IↃC XXIII.

De ſtatu animarum ſeparatarum, præſertim beatarum, & cultu qui eis convenit Exercitatio, habita anno cIↃ IↃC LIII.

Tomi II. pars XII.

De viſibili Eccleſiaſtica Monarchiâ Diſputationes duæ anno cIↃ IↃC XLIII.

Proœmii in librum Cypriani de Unitate Eccleſiæ, quo contra primatum & jurisdictionem Romani Pontificis diſputatur fragmentum.

De Conjugio Clericorum Tractatus, quo oſtenditur Pontificiam legem quâ ſacris miniſtris conjugio univerſim & ſimpliciter interdicitur, S. Scripturæ, rectæ rationi juſtarumque legum naturæ, & Eccleſiaſticæ primitivæ antiquitati prorſus adverſari.

Conſideratio Doctrinæ Pontificiæ hodiernæ juxta ductum Concilii Tridentini; ſcriptum hactenus non editum.

TOMUS

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [114] - -
PUBLIC DOMAIN

TOMUS III.

exhibebit

EXEGETICA,

Tomi III. pars I.

Ad quorundam VETERIS TESTAMENTI Librorum intelligentiam facientes LUCUBRATIONES complectens sequentia,

I. Triginta sex PRIORUM CAPITUM GENESEOS EXPOSITIO LITERALIS.

II. HISTORIA JOSEPHI sive XIV posteriorum capitum Geneseos Expositio literalis.

III. EXODI XX priorum capitum Expositio literalis.

IV. LEX DEI MOSAICA in classes juxta Decalogum digesta, & unà cum Ceremonialibus atque Judicialibus, eo pertinentibus Legibus, exposita.

V. IN PROPHETAS PROOEMIUM.

VI. EXPOSITIO ORACULI DE LXX HEBDOMADIBUS DANIELIS. Prodiere Anno 1665.

Tomi III. pars II.

Quatuor Evangelicorum scriptorum Concordia, & locorum, quæ in illis occurrunt, difficilium ac dubiorum explicatio. Goslariæ 1654.

Tomi III pars III.

In Acta Apostolorum Expositio literalis. Brunsvigæ 1654.

Tomi III pars IV.

In Epistolam S. Apostoli Pauli ad Romanos Expositio literalis. Excusa Brunsvigæ 1652 Recusa Helmstadii A. 1665.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [115] - -
PUBLIC DOMAIN

Tomi III pars V.

In utramque ad Corinthios Epistolam Expositio literalis. Excusa Brunsvigæ 1652 Recusa Anno 1665.

Tomi III pars VI.

In S. Apostoli Pauli Epistolas VI, ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Priorem ad Thessalonicenses & ad Titum Expositio literalis. Excusa Brunsvigæ 1653 Recusa Helmstadii 1665.

Difficiliorum hinc inde è Scripturâ sacrâ excerptorum locorum explicatio, quam Auctor decumbens mortique vicinus, quando per collapsorum virium imbecillitatem licuit, languidâ manu conscripsit.

TOMUS IV.

Exhibebit

CATALLACTICA.

Tomi IV pars I.

Responsum maledicis Theologorum Moguntinorum pro Romani Pontificis infallibilitate præceptoque communionis sub unâ, Vindiciis oppositum, ad Reverendissimum & Eminentissimum Archiepiscopum & Electorem Moguntinum. E Typographeo Calixtino anno 1644.

Desiderium & studium concordiæ Ecclesiasticæ, aliquoties, & hoc ipso 1697 anno recusum.

Consideratio DOCTRINÆ PONTIFICIÆ, juxta ductum

ductum Concilii Tridentini, & REFORMATÆ juxta Ductum Confesionis Thoruni Borussorum Anno 1654 exhibitæ. F. U. Calixtus è MSS. eruit & edidit Anno 1659.

Tomi IV pars II.

Scripta facientia ad Colloquium Thorunienſe, quibus acceſſit Auctoris Conſideratio & Ἐπιχείρησις. Helmſtadi in Typographeo Calixtino excudit Henningus Müller 1654.

Tomi IV pars III.

Inter Illuſtriſſimum & Celſiſſimum Principem Erneſtum Haſſiæ Landgravium & D. Georgium Calixtum Acta. Excuſa Helmſtadi 1657. Recuſa ibidem 1681.

TOMUS V.

Exhibebit

HISTORICA.

Tomi V pars I.

Epitome Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ priorum IV à nato Chriſto ſeculorum, hactenus non edita.

Hiſtoria Eccleſiaſtica poſteriorum aliquot ſeculorum IX, X, XI &c. Apparatui Theologico, (qui toties quoties diſtractus, iterum atque iterum eſt recuſus) comes data.

Tomi V pars II.

De hiſtoriarum ſcriptoribus, opus non completum hactenus ineditum.

Diſcurs von der wahren Chriſtlichen Religion. Noribergæ excuſus, Helmſtadi anno 1688 recuſus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [117] - -
PUBLIC DOMAIN

TOMUS VI.

Exhibebit

APOLOGETICA.

Tomi IV pars I.

Gründtliche Wiederlegung eines unwarhafften Gedichtes untern titul Crypto-Papismus novæ Theologiæ Helmstadiensis. Lüneburg bey Johan und Heinrich den Sternen anno 1641 recognita & excusa.

Tomi VI pars II.

De duabus quæstionibus: Num mysterium SS. Trinitatis è solius V. T. libris possit demonstrari, & Num ejus temporis Patribus Filius Dei in propriâ suâ hypostasi apparuerit? Dissertatio. In Typogr. Calixtino excusa A. 1649, & anno proximo 1650 à B. Auctore recognita & recusa.

Cui succedit Programma, Programmati Scharffiano oppositum, cum D. Georgii Calixti Notis. Programma excipit;

Ad quæstiones de Mysterio SS. Trinitatis Appendix, ad Academiam Wittebergensem Epistola.

Tomi VI pars III.

Wiederlegung der unchristlichen und unbilligen Verleumbdungen/ damit Ihn (D. Georgium Calixtum) D. Jacobus Weller ChurSächsischer Oberhoffprediger zubeschmitzen sich gelüsten lassen.

Verantwortung auff das jenige/ was Ihm (D. Georg. Calixto) in der Churfürstl. Durchl. zu Sachsen und dero jetzt gemelten Oberhoffpredigern an Ihre FFF. GGGn. die regierende Hertzoge zu Braunschweig und Lüneburg außgelassenen Schreiben auffgerucket und beygemessen wird.

Antwort auff D. Johannes Hülsemanni Meisterliches Muster.

TOMUS

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [118] - -
PUBLIC DOMAIN

TOMUS VII.

Exhibebit

ORATIONES.

Tomi VII pars I.

De Pontifice Romano Orationes III, ante hac nunquam, anno 1658 verò juxta fidem Auctoris autographi editæ in Typographéo Calixtino.

Tomi VII pars II.

Orationes Selectæ, ad quas accesit Quæstio de causſa odii quo exercetur hodie Philoſophia, & decreſcentis apud nos indies ſolidæ eruditionis. Demum anno 1659 editæ.

Superſunt etiam CONSILIA quædam & RESPONSA, de emendandis Eccleſiarum defectibus; de propagandis ſtudiis; de Scholis & Academiis rectè conſtituendis, &c. quæ exhibebit Operum TOMUS IIX, & ſingula, ubiè re viſum fuerit, Lectori communicabuntur.

Operum TOMUS IX, DISPUTATIONES ET SCRIPTA PHILOSOPHICA exhibebit, quæ ubi collecta & in ordinem redacta erunt, publici juris fient.

Operum TOMUS X, VARIA PROGRAMMATA, CARMINA ET DISSERTATIUNCULAS exhibebit. Tales ſunt, de Votis de Uſuris, de Canonicorum officio &c,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [119] - -
PUBLIC DOMAIN

SEQVITUR

D. FRID. VLRICI CALIXTI SCRIPTORUM INDEX.

AD ſanctam Diſciplinam Theologicam *Prolegomena* Reſpondente M. Henrico Alto. 1655.

PRÆCOGNITA Diſciplinæ Theologicæ conſtitutionem Antecedentia. Reſpondente Auguſto Zobel. 1668.

SUMMA CAPITUM RELIGIONIS CHRISTIANÆ è Corpore Doctrinæ Julio excerpta. Recuſa 1661.

SUMMA DOCTRINÆ CHRISTIANÆ juxta ductum Symboli Apoſtolici Reſpondente Joh. Juſto Eiſenhart Mülhuſano 1691.

De S. SCRIPTURA Theſes Theologicæ Anno 1650.

De AUCORITATE SCRIPTURÆ SACRÆ. Reſpondente Gottfried Maſchou Aſcanienſe. 1682.

De UNIVERSALIS PRIMITIVÆ ECCLESIÆ AUCTORITATE. Reſponte Johanne Hingſt Seeſenſi 1654.

De AUCTORITATE ANTIQVITATIS ECCLESIASTICÆ. Reſponte Gottfried Maſchou. 1682.

De IMMORTALITATE ANIMÆ & RESURR. CARNIS, 1650.

De FINE HOMINIS ſimpliciter ſummo & ultimo. Reſpondente Johanne Ottone Moſt Steinhuda Schauenburg. 1656.

De QVA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [120] - -
PUBLIC DOMAIN

De QVATUOR NOVISSIMIS. Reſpond. Henningo Vitten Riga Livono 1660.

De SUPREMO JUDICIO & ÆTERNA BEATITUDINE. 1650.

De DEO DIVINISQVE ATTRIBUTIS, Reſpond. Joh. Matthia Duven Batavo. Sub hujus exercitationis finem excutitur, num rectè dicatur, quod Judæi & Muhammedani ab Idololatriâ ſint alieni. Anno 1653.

De SANCTISSIMO TRINITATIS Myſterio Diſput. Theolog. 1650.

De DIVINITATE CHRISTI è Scripturâ Sacrâ & Antiquitate deprompta ASSERTIO 1660.

De ÆTERNI PATRIS ÆTERNI FILII Divinitate Diſput. 1691.

De SPIRITU SANCTO. Reſp. Joh. Henrico Bœli Brunſv. 1661.

De PECCATO in SPIRITUM SANCTUM. Reſp. M. Henrico Alto Pruſſo. 1659.

De SIMPLICI & COMPOSITO, inprimis de SIMPLICITATE DEI, ſub Præſidio B. Dn. Homburgii habita 1646.

Diſputationes geminæ, una de SATISFACTIONIBUS.

Altera de INDULGENTIIS adverſus Pontificios, Reſpondente Joh. Henrico Reinking Lemgovienſe. 1691.

DE SACRAMENTIS.

De BAPTISMO & inprimis de antiquis circa eum Ritibus. Reſpondente Henrico Lindes 1650.

De utroq; Novi Teſtamenti Sacramento BAPTISMO & EUCHARISTIA Aſſertiones Theologicæ Reſpondente Joh. Matthia Duven Batavo. 1654.

De Con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [121] - -
PUBLIC DOMAIN

De Controverſiiis quæ circa S. EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM inter Catholicos Proteſtantes & Pontificios intercedunt Diſputatio Inauguralis. Anno 1652.

De CORPORE & SANGUINE DOMINI in S. Euchariſtia reapſe præſentibus Diſputatio Prior, Reſpond. Carolo Schradero Chriſtoph. Filio. 1685.

Ejusdem argumenti Diſputatio Poſterior. Reſpond. Johanne Thoma Frölingio Helmſtad. 1685.

MISCELLANEA:

De CREATIONE potiſſimùm Animæ Rationalis atque huic Doctrinæ annexis Dogmatibus, Exercitationum Academicarum Specimina Septem.

Specimen Primum.

De CREATIONE in GENERE.

Specimen Alterum.

De ANIMARUM NUMERO, SPECIEBUS & DIFFERENTIIS.

Specimen Tertium.

De TRIPSYCHITARUM & MONOPSYCHITARUM contentionibus.

Specimen Quartum.

De PROPAGATIONE ANIMÆ per CREATIONEM, GENERATIONEM, TRADUCTIONEM & EMANATIONEM.

Specimen Quintum.

RATIONALIS ANIMÆ CREATIONEM per

per S. Scripturam probat, &

Specimen Sextum.

TRADUCTIONIS

ab eadem Scripturâ accerſitas probationes expendit.

Specimen Septimum.

De PECCATO ORIGINIS in Adami poſteros propagatione tali, quæ admiſſa quamvis Animarum Creatione, Deum creatorem tamen, à primordio illis adhærentis mali cauſam non conſtituat. Reſpondentis vices toties quoties ſuſtinuit Jacobus Theodorus Eccardus Scholæ Eimbeccenſis tunc Rector.

De USURIS Diſput. Theologica, ad quam acceſſit Celeberrimi Viri Cornelii Martini Epiſtola de Uſuris, ad Matthiam Overbequium, Magnum quondam ſtudiorum Patronum & Promotorem. Reſpondente Valentino Bernhardo Mylio Alveld. 1667.

De JEJUNIO. Reſpondente Johanne Joachimo Homburgio Joh. Filio Helmſt. 1676.

De CONJUGIO & DIVORTIO, Reſpondente Johanne Joachimo Mecken. 1681.

Centuria Theſium Theologicarum, proponens Hæreſes Schiſmata Errores & Controverſias maximam partem Novas, præprimis hoc & ſuperiori ſeculo circa veram Religionem motas. A. & Reſpondente Frid. Henrico OLDECOP Lyneburgico. 1690.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [123] - -
PUBLIC DOMAIN

APOLOGETICA.

Pro asserenda Helmstadiensium Theolorum Orthodoxia

DEMONSTRATIO LIQVIDISSIMA

Quod *Consensus repetitus Fidei verè Lutheranæ*, quem D. Abraham Calovius in vulgus sparsit, nec *Consensus* fidei verè Lutheranæ censeri mereatur, nec *Vero* fidei Lutheranæ consensui DD. Georgius Calixtus & Conradus Hornejus contraria docuerint, defendendæ innocentiæ, & calumniæ retundendæ gratiâ, *Autoritate publicâ* conscripta Anno 1667.

CASTIGATIO ABSURDÆ NOVITATIS, quod esse DEUM, eundemque esse UNUM, sint Verissimi Fidei Articuli, imò Mysteria fidei, assertæ à D. Johanne Deutschman Theologo & Professore Wittebergensi Disputatione de DEO UNO habitæ Wittebergæ 1667.

RESPONSIONES ad D. Abrahami Calovii Theses Anti-Syncretisticas editas Wittebergæ anno 1668.

Eodem 1668 Anno, prodiit Pietas Academiæ Juliæ, atque ejusdem Paraphrasis Germanica, sub inscriptione der Fürstl. Julius Universität zu Helmstädt Schutz-Rede wieder dero höchst unbillige Verleumdere / insondert D. Ægidium Strauch Professorem zu Wittenberg.

Item D. F. U. Calixti abgenöhtigte Retorsion Schrifft entgegen gesetzet deren durch D. Ægidium Strauch in seinem edirten Buch wieder Ihn außgegossenen calumnien und injurien. Item Justificatio Retorsionis.

D. Ægidii Strauch Läster-und Lügen-Kunst per Georgium Christophorum F. U. Fil. Calixtum. 1668.

Ableh-

Ablehnung etlicher von D. Ægidio Strauchen auffs neue außgestürzeter injurien und Calumnien; Sambt angehängeter endlicher Protestation D. Friderich Ulrich Calixti in Schrifften mit Ihm weiter sich nicht einzulassen. 1669.

PIETATIS OFFICIUM, quod optimè merito Parenti suo, *D. Georgio Calixto* Theologo celeberrimo, præstitit ejusdem Filius D.F.U. Calixtus, pii viri innocentiam à novis *D. Abrahami Calovii* injuriis, portentoso *Programmate* pridem vulgatis, justè vindicans. Accessit Viri cujusdam, in Scriptis Paternis probe versati, *Plenior Repræsentatio* Consilii ejusdem de *Studio Concordiæ Ecclesiasticæ*. 1675. Evoluto biennio Anno 1677 *Plenior* ista *Repræsentatio*, Consilii Calixti in vernaculam linguam translata, cum Præfatione D. Calixti G. F. prodiit Helmstadii Saxonum, è Typographiâ Henr. Davidis Mülleri Acad. Typographi.

Contumelioso Programmati Caloviano anno 1675 Wittebergæ publicato, oppositum Programma Calixtinum, in priori illatas injurias vindicans.

DISCUSSIO NEBULARUM, quibus Iniquitatis Calovianæ Mysteria, Pietatis Officio revelata, Disputatione nuperâ, conatu irrito obumbrare tentavit D. Abraham Calovius. Anno 1676.

EPISTOLA AD AMICUM ANONYMUM, ad quam Lessus Calovianus & de eodem Rhadamanthus Poëticus accesserunt. 1676.

JUSTA ANIMADVERSIO, in Triumphum Concordiæ Repetiti Consensus Dramaticum, Wittebergæ Anno 1676 die 18 Octobris, Inaugurationi Academiæ Rectoris consecratum.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [125] - -
PUBLIC DOMAIN

D. ABRAHAM CALOVIUS cum ſua HARMONIA CRETICO-SYCOPHATICA Tertiùm confuſus & ultimò è *Vado* in quo per confictum Huld-Reich Gottfried/ collocaſſe eam ſibi eſt viſus, *Deturbatus* præcepsque in fundum actus. Acceſſit *Appendix* quâ Calovianæ alterius rhapſodiæ nuperrimè evulgatæ, extrema ſcurrilitas & improbitas nonnihil detegitur, perſtringitur & reprimitur. 1679.

Juſtiſſima per alienam improbitatem extorta, omni jure conceſſa, ſemel facta ſed in perpetuum valitura CONTRADICTIO, Pſeudo-Hiſtoricorum *L. Joachimi Felleri* Profeſſoris Lipſenſis, & *Danielis Hartnaccii* Dresdæ morantis, falſiſimis quibusdam Narrationibus *Johannis Læti* & *Johannis Micrælii* Hiſtoriis malignè adtextis, loco *Prodromi*, prolixiorum ſubſecuturarum *Reſponſionum* in luce publica poſita à F. U. Calixto. 1679.

Brevis EPICRISIS quâ *QVÆSTIONES XXIV* hac imprimis ætate inter Theologos (ut fertur) controverſæ ab *Anonymo* placidè diſcuſſæ, placidè Auctori eidem, domum remittuntur. 1680.

L. Adami Rechenbergii mentis judiciique ECLIPSES, in ejus ad D. F. U. Calixtum Epiſtolâ obſervatæ. Una cum *Epimetro bipartito* quorum priore *L. Joachimi Felleri*, poſteriore *Danielis Hartnaccii* injuriæ, in BB. DD. Calixtum & Horneium cumulatæ, depelluntur. Acceſſit nuperrimæ *Felleriane Reſponſionis* juſtiſima caſtigatio. 1680.

Quæſtionis *Quid de eorum qui ſine Baptiſmo è vivis excedunt ſalute ſtatuendum*? ad Illuſtrem & Generoſum Virum Guſtavum Adolphum de Schulenburg, directa *Solutio*. apud Gorg. Wolfgangum Hammium Acad. Typogr. 1686.

TRACTA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [126] - -
PUBLIC DOMAIN

TRACTATUS THEOLOGICI.

De IGNE PURGATORIO, quem credit Ecclesia Romana, & orbi Christiano sub anathemate credendum obtrudit, adversus *Johannem Mulmannum* Jesuitam Monasterienſem, Gesenianæ Inauguralis de Purgatorio Disputationis invasorem. Prodiit Anno 1650.

De DIVERSIS TOTIUS MUNDI RELIGIONIBUS, atque quibusdam connatis argumentis Tractatus Theologicus complectens Disputationes I. De RELIGIONE JUDAICA & JUDÆORUM CONVERSIONE

II. De RELIGIONE MUHAMMEDANA, EORUNDEMQVE CONVERSIONE.

III. De RELIGIONE IDOLOLATRICA & de ATHEISMO.

IV. De VERA CHRISTIANA RELIGIONE & ECCLESIA, earundemque STATU DISCURSUS, quem B. D. Georgius Calixtus, ante plures quàm L annos linguâ vernaculâ scripsit, F. U. G. F. Calixtus, Paraphrasi Latinâ donavit, amplificavit, atque præmisſis PROLEGOMENIS, edidit.

V. Ad Dissertationem de Idololatricâ Religione

AUCTARIUM PRIMUM

De JUDÆORUM & MUHAMMEDANORUM IDOLOLATRIA.

VI. Ad eandem de Idololatriâ Dissertationem

AUCTARIUM ALTERUM

DE CULTU RELIGIOSO, vita functorum Sanctorum, horum Reliquiarum atque Imaginum, degenerante in Idololatriam.

VII. Ad eandem de Idololatriâ Dissertationem

AUCTARIUM TERTIUM

DE CULTU RELIGIOSO HOSTIÆ CONSECRA-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [127] - -
PUBLIC DOMAIN

SECRATÆ, in materialem degenerante Idololatriam.

IIX. Beati D. Georgii Calixti, de Statu animarum ſeparatarum, præſertim Beatarum, & de Cultu, qui eis convenit, Exercitatio, ante plures quàm XL annos edita, & per Academiæ Typographum anno 1689 recuſa.

IX. Friderici Ulrici Calilixti
De Filii ſui Johannis Friderici Beatâ analyſi,

EPILOGUS
Quo de
Animarum ſeparatarum, in corpore geſtarum rerum memoriâ, horumq; pro vivis apud Deum intercesſione agitur.

Tractatus Theologicus de HÆRESI, SCHISMATE & HÆRETICORUM POENIS, in Academiæ Viſitatione 1690 publicatus.

De CHILIASMO cùm Antiquo, tùm pridem renato Tractatus Theologicus, qui anno 1692 in lucem prodiit.

SPIRITUS qui ex Deo eſt, à Spiritu fanatico DISCRETIO; Simul ac in vicinia erumpentium teterrimarum MANIFESTATIONUM EXAMEN, excuſum anno 1693.

De VARIO HOMINIS STATU, ejusque connatâ LEGEM IMPLENDI IMPOTENTIA Tractatus Theologicus complectens inter alia, pro PHILOSOPHIA & PHILOSOPHIS APOLOGIAM, Anno 1693 editam.

B. Mariæ Virginis IMMACULATÆ CONCEPTIONIS HISTORIA, cui accesſit *Alexandri Papæ VII Conſtitutionis*, ad Coloniæ & Herbipoleos Dominos, Theologos, *Examen* ex Typographia Acad. 1696.

Huic anno proximo ſucceſſit, nunc lucem adſpiciens, in B. D. Georgi Calixti de Tolerantiâ Reformatorum Conſultationem, ejusdem Filii D. Frid. Ulrici Præliminaris de mutuâ Chriſtianorum Tolerantiâ, Commentatio.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [128] - -
PUBLIC DOMAIN

DE TOLERANTIA REFORMATORUM IN QUÆSTIONIBUS INTER NOS ET IPSOS CONTROVERSIS.

עמי עשן

QUi Christianus cupit esse vel audire, non debet ullum mortalem, qui itidem Christianus fuerit, sive Christo capiti tamquam verum vivumque membrum adhæserit, odisse vel abominari. Ne quidem alienos à Christo, ut Judæos, Muhammedanos, paganos odisse fas est: sed eorum potiùs misereri, & si quâ ratione possumus, ut ab exitio eripiantur, operam dare & opem ferre oportet. Alia tamen, majorque & perfectior est caritas, quâ eos, qui uti nos, ita etiam ipsi Patris cœlestis filii sunt, & membra Christi, non modò tamquam homines, vel creaturas Dei, sed tamquam fratres, *concorpores & cohæredes*, prosequi tenemur. Inter nos & illos, uti singularis sub capite Christo intercedit conjunctio, ita quoque intercedere debet singularis amore & mutua dilectio. *Præceptum novum do vobis*, ait Servator morti, qua nos redemit, vicinus, *ut alii alios diligatis. Ex hoc omnes cognoscent, vos esse discipulos meos, si caritatem habueritis alii in alios.* Hinc Apostolus, ab ipso peculiariter dilectus: *Nos scimus nos translatos esse ex morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Quisquis odit fratrem suum, homicida est, & nostis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem.* Ab-

Eph. 3, 6.

Joh. 13, 34. & 35.

1. Joh. 3. 14. & 15.

 sit

sit igitur, ut ullum Christianum, qui non desierit Christianus esse, non desierit esse Dei filius, & proinde frater noster, & unà nobiscum membrum in corpore Christi, & cohæres æternæ salutis; absit, inquam, ut ullum ejusmodi odio habeamus, aversemur aut exsecremur. Absit, ut societatem ullius, quem in suam communionem Christus recepit, nos abominemur. Absit, ut ei, cui ille dicturus est, *Veni benedicte Patris mei*; nos dicamus, *Abi maledicte Satanæ.*

II. Quum itaque quæritur de amicitiâ, reconciliatione sive unione inter nos & Calvinianos, qui appellantur, redintegrandâ, considerandum omnino erit, num sint illi adhuc in statu verorum Christianorum, filiorum Dei & hæredum salutis; an eo sive per errores capitales, sive per nonnulla sibi familiaria & in usum recepta crimina exciderint, ut genuini Christiani, Dei filii, Christi membra & cohæredes regni cœlestis haberi jam non possint. Nam si posterius verum fuerit, rectè fecerimus, si eos res sibi suas habere jusserimus, nostraque societate & communione excluserimus, non tamen interim sepositâ curâ, quam errantibus in viam reducendis impendere Christianos decet. Sin ita non est, non poterit Deo placere vel probari, quod eos odimus & fugimus, & cum iis societatem inire vel colere nolumus. Nempe si eos ille ut filios agnoscit, nos ut fratres amare debemus: si ille ad consortium regni sui admittit, nos commercio societatis nostræ excludere non decet, neque hîc in terris aversari, cum quibus in cœlis æternùm conversabimur. Quâ de re paullò antè dictum fuit.

III. Neque enim quivis circa res religionis error è statu gratiæ deturbat, vel hæreditate regni cœlestis dejicit: alioquin salutem sperare vix quisquam possit. Loquimur

quimur autem de errore, ut in intellectu hæret, ejusque perfectionem imminuit. Nam si error, de quo intellectui constat, defendatur, & quod falsum quis esse noverit, nihilominus ut verum adseruerit, crimen fuerit voluntatis, & peccatum in conscientiam, quacumque tandem seriâ de re agatur, & sive ab amore, sive ab odio, sive à spe, sive à metu libido adstruendi falsi & oppugnandi veri originem duxerit. Eos igitur, quibus errores DEUS condonat, & proinde nos etiam condonare oportet, ut suorum errorum intuitu neque gratiâ divinâ neque communione Christianâ priventur; eos, inquam, ita errare statuendum est, ut absit malitia; nempè quòd hactenus aliter rem adsequi nequiverint, sive destituti opportunitate rectiora discendi; sive irretiti speciosis nonnullis nec omni probabilitatis colore nudatis rationibus, quibus extricandis ipsi sint impares; sive diuturnâ ita sentiendi consvetudine, sive parentum & præceptorum suorum auctoritate innodati. Hujusmodi enim nexus & vincula ade òplerumque arctè stringuntur, ut non sit facile iis sese expedire.

IV. Cæterùm id quoque observandum fuerit, nonnulla ita creditu ad salutem esse necessaria, ut eorum ignorantia salute prorsus excludat; & damnationem inducat, nec ab eorum, quorum modò meminimus ullo, valida vel profutura excusatio trahi possit. Verbi gratiâ, Qui non credit, sive qui nescit aut negat unigenitum Dei Filium propter nos homines hominem factum esse, damnabitur: nec eum excusabit, quòd discendi commoditate privatus vixerit, ut qui inter barbaros & idololatras ætatem egerit; aut à parentibus & magistris suis edoctus fuerit negare, quod in Judæos competit. Nempe juxta ordinem mediorum, à quibus ex Dei beneplacito salus humana pendet, talium cognitione & adsensu instrui & informari intellectum

ctum oportet, alioquin tantæ imperfectioni & deformitati obnoxium, ut per eam salute sit carendum, & alii præterea actus, quos ab homine salvando præstari & prævia cognitione dirigi necesse est, aut non fiant, aut pravè & perperam fiant. Quomodo enim in Servatore nostro fiduciam & spem, qualis ab homine Christiano requiritur, collocabit? quomodo eum legitimo cultu prosequetur, qui unigenitum Dei filium verumque Deum esse nescierit aut negaverit?

V. Quod autem sine jacturâ salutis nesciri potest, circa id etiam error innoxius fuerit. Si non esset ad salutem necessarium novisse & credere, Christum verum esse Deum, & hoc tutò ignorari posset; nihil etiam obesset negare, Christum verum esse Deum. Quippe sic cognitio divinitatis Christi nullam praxin sive nullos actus hominis Christiani dirigeret, sive ad ejusmodi actus rectè præstandos necessaria non esset, id est, nullo prorsus modo concurreret. Actus igitur eos non magis impediret aut tolleret negare, quàm ignorare. Ita ad æternam beatitudinem non est necessarium nosse, quot sint in cœlis stellæ inerrantes, sive planetæ. Perinde itaque fuerit, sive prorsus nescias, sive plures aut pauciores, quàm reapse sunt, esse credas. Id tamen, quum de rebus fidei & religionis loquimur, verum fuerit, ex dissertâ negatione veritatis alicujus, quamvis non fundamentalis, aut expresso de eâ errore, promtius fore adversus ipsam fundamentalem veritatem argumentum aliquod elicere, quàm ex simplice ignorantiâ.

VI. Distinguendi enim sunt errores, qui fundamentum directè evertunt, ab iis, qui non directè, sed per consequentiam. Alio loco habendi sunt hi quàm illi; & mitiùs de his judicandum, quàm de illis. Nempe qui articulum

culum aliquem fundamentalem directè negant, hoc ipso salute excidunt ; non item qui per errorem, quem animadvertere & perspicere nondum potuerunt, aliquid statuunt, è quo per consequentiam eliciatur negatio fundamentalis articuli. Tales enim adhuc fundamentum retinent, sive articulo fundamentali firmiter adhærent & adsentiuntur, quum non videant aut intelligant, suum errorem & opinionem simul cum fundamento consistere non posse, sive alterum ab altero everti. Id enim si viderent, utrumque simul non amplecterentur, sed aut errorem suum missum facerent, aut ex affectu erga suam opinionem, quod nonnullis contingit, articulum fundamentalem ei postponerent, & expreßè negarent.

VII. Exemplum nobis esto Matthias Flacius Illyricus. Qui quum anno superioris seculi LX, in disputatione adversus Victorinum Strigelium peccatum originale substantiam esse adseruisset, & adserere usque pergeret, non animadvertebat hinc sequi, Deum, si peccati auctor non sit, uti esse ipse negabat, omnium rerum & substantiarum creatorem non esse, atque adeò præter Deum alium esse quarumdam rerum & substantiarum creatorem, & proinde duos creatores, duosque deos. Hoc Flacius ex suis hypothesibus sequi nec intelligebat nec admittebat. Injuriam itaque fecerit Flacio, qui dixerit eum statuisse, duos esse deos: quamvis id ex ejus opinionibus per bonas & validas consequentias elici possit.

IIX. Quò tamen vicinior est error eversioni fundamenti, sive quò promtiùs proniusque & per pauciores & evidentiores consequentias à posito errore ad evertendum fundamentum iri potest, eò quoque periculosiorem illum esse oportet, & magis vitandum. Quamquam itaqeu

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [133] - 5
PUBLIC DOMAIN

itaque qui ejusmodi errorem per meram ignorantiam & sine malitiâ erraverit, propter eum gehennæ non fuerit adjudicandus; non tamen poterit admitti ad munus docendi in Ecclesiâ, certè ut errorem suum disseminet aut doceat, concedi ei non debet, nempe propter periculum, quod diximus, ab admisso illo errore ad evertendum fundamentum, quò via ducit, & quidem prona, pergendi. Quamvis enim ipse, de quo agitur, eò non progrediatur; viam tamen munit, quâ ne progrediantur alii, meritò metuitur.

IX. Tandem id quoque monemus, si de dogmate aliquo, prout communibus & vulgo notis atque usurpatis verbis proponitur & explicatur, conveniat; etiamsi circa idem, sub Scholasticorum terminorum involucro propositum, aliqua discrepantia fuerit; non tamen tunc fore, quare de ipso fundamento dissidium esse existimetur. Certè quemadmodum dogma populo proponi & à populo credi oportet, ita est consensus; atque eatenus idipsum omnibus ad salutem sufficit. Terminos disciplinarum & scholæ adhibere & applicare, non est nisi eruditorum. Quos si alii aliter accipiant & accommodent, non propterea turbari debet Ecclesia, & abrumpi unio atque concordia fidelium. Facile autem est hodie, terminos, quos diximus, diversimodè intelligi rebusque ipsis aptari, quum aliquamdiu philosophia & disciplinæ diversimodè fuerint traditæ, & nova illa atque prava Ramæa institutio veteres terminos partim aboleverit, partim aliter, ac olim accepti fuerunt, intelligere docuerit. Hinc itaque fit, ut à nonnullis termini, quos diximus, vel omnino non intelligantur, vel aliter, quàm eorum fert sive indoles, sive hactenus apud alios receptus usus, accipiantur.

X. Si

X. Si dicam, Deus hominum ſuo crimine & diaboli fraude in peccatum & exitium prolapſorum miſertus, miſit unigenitum ſuum Filium. Ille pro hominibus homo factus, paſſus & mortuus, reſurgens & adſcendens in cœlos remiſſionem peccatorum & æternam vitam iis promeruit. Hoc ſuum ſuique Filii tantum beneficium Deus per prædicationem Evangelii hominibus facit annunciari & exponi. Qui ſe peccatores agnoſcunt & dolent, Evangelio adſentiuntur, in Filium credunt, & in ejus merito ac morte confidunt, illi Deo reconciliantur, remiſſionem peccatorum conſequuntur, è ſtatu iræ & damnationis in ſtatum gratiæ & ſalutis transferuntur, in eo permanſuri & æternæ gloriæ certò futuri participes, ſi ex quo crediderunt & reconciliati Deo ſunt, obſervationi mandatorum divinorum operam dederint, ſecundum carnem non vixerint, & præeunte ac cooperante ope divinâ à peccatis contra conſcientiam committendis ſibi caverint. Sic in præſente vitâ juſtificabitur homo, & in futurâ glorificabitur. Si ad hunc, inquam, modum verbis ex communi uſu loquendi depromtis & à quovis intelligi facilibus utar, non poterit de dogmate, ita propoſito inter pios & manſuetos Chriſtianos eſſe diſſenſus. Nemo enim quidquam iſtorum ita propoſitorum, niſi quis fortè tetrâ & malitiosâ contendendi & cavillandi prurigine laboret, in dubium vocabit. At ſi dicam, Hoc eſt cauſſa efficiens principalis; hoc à principali proxima; hoc inſtrumentalis à parte Dei; hoc à parte hominis; hoc non niſi diſpoſitio; hoc ipſa cauſſa formalis; hoc materialis; hoc neceſſarium per ſe; hoc ex hypotheſi: ſi, inquam, ita loqui cœperim, tum facilè contigerit me à nonnullis, vel planè non intelligi, vel aliter intelligi, quàm ipſe velim; atque adeo controverſiam moveri de uſu atque applicatione hujusmodi ter-

terminorum, quæ tamen non nisi scholastica fuerit, nec, si de dogmate popularibus verbis expositio convenerit, tanti facienda, ut propter eam vinculum Christianæ caritatis & concordiæ abrumpatur.

XI. Hisce Præmissis ad negocium reconciliationis & belli, quod inter Lutheranos & Calvinianos (liceat nunc ita appellare) aperto quasi Marte geritur, sive sopiendi sive mitigandi, aliquanto propiùs accedamus, & à controversiâ de Æternâ Prædestinatione sive Electione initium faciamus.

XII. Principio ponimus, Deum ab homine non requirere, ut æternum illud Prædestinationis sive Electionis decretum intelligendo penetret, & exactè capiat, sed servari posse hominem, modò ordinem, per quem in tempore ad salutem Deus nos perducit, sequatur & servet, cætera de decreto in æternitate facto minimè sollicitus: nempe Evangelium audiat & admittat, in Christum credat, desideriis carnis repugnet & obsequium subtrahat.

XIII. In eam sententiam ipsa Formula Concordiæ: *Arcanæ & occultæ prædestinationis abyssum perscrutari ne conemur.* Item: *Multa adhuc Dominus de hoc mysterio reticuit & occultavit, eaq; soli suæ sapientiæ & scientiæ reservavit.* Rursus: *Ea est corruptæ naturæ nostræ curiositas, ut magis iis, quæ abstrusa & arcana sunt, indagandis, quàm iis, quæ de hoc negocio Deus in verbo suo nobis revelavit, cognoscendis delectemur: præsertim quum quædam in hoc mysterio tam intricata & perplexa occurrant, quæ nos in mentibus nostris acumine ingenii nostri conciliare non possumus: sed neq; id nobis à Deo demandatum est.* Si igitur nec à Deo nobis est mandatum, nec ad salutem nostram necessarium, ut æternum electionis decre-

decretum cum iis, de quibus aliàs nobis constat, sive quæ circa salvandos in tempore Deus operatur, conciliemus; tum neque salute privabuntur, si qui conciliare tentaverint, & in instituendâ ac disponendâ eâ conciliatione aberraverint, sicut ex illis, quæ numero V dicta sunt, intelligi poterit. Eadem Formula prohibet, quum de æternâ electione cogitamus, *ne nudam, occultam, nulli homini exploratam & cognitam Dei præscientiam ratione nostrâ perscrutari conemur.* Existimat itaque, non esse necesse, ut agentes de prædestinatione, de præscientiâ divinâ accuratiùs expendendâ & huic negocio applicandâ admodum simus solliciti. Errores igitur hîc sine fraude & malitiâ, & per solam humani ingenii imbecillitatem, magnitudine rerum oppressam commissos, uti DEUS sine dubio condonabit, ita nos quoque condonare oportet.

XIV. Ea tamen expedita videtur ratio æternum Dei de salvandis hominibus decretum cum exsequutione ejus, sive cum actuali salutis hominum procuratione, quæ in tempore præstatur, conciliandi, si dicamus, sicuti & dicere oportet, Deum in tempore non aliter agere, nec aliter hominibus salutem conferre, quàm decrevit ab æterno; nec aliter decrevisse ab æterno, quàm agat & exsequatur in tempore. Quum itaque in tempore neminem salvet, nisi requisito aliquo, quod ipse exigit, à parte hominis posito & præsente, quod est videlicet fides in Christum; ita quoque ab æterno decrevisse salvare neminem, nisi credentem in Christum. Decretum igitur electionis æternum non esse absolutum, sive non esse factum absolutâ Dei voluntate, hoc est, tali, quæ in eligendo nihil requisierit, nihil attenderit, sed conditionatâ, hoc est, respiciente ad quandam à parte hominis conditionem, & quidem eam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [137] - 9
PUBLIC DOMAIN

ipsam, quam pro suo beneplacito medium à parte hominum esse voluit, quo posito & præsente illi salutis participes redderentur. Cæterùm neque homines neque fidem eorum in æternitate præsentes fuisse, à Deo tamen ignorari non potuisse, sed per suam præscientiam, quam nihil subterfugit, illum non minùs certò, quàm si reapse præsentes fuissent, quinam homines aliquando in tempore Evangelio obtemperaturi & credituri essent, in æternitate cognovisse. Electionem itaque juxta hanc præscientiam esse factam, sicut ipsa Scriptura perspicuè enunciet I Petri I, 2; Rom. IIX, 29; XI, 2.

XV. Et hæc fuit sententia priscæ primæque Ecclesiæ, omniumque scriptorum, qui in occasione doctrinam æternæ Electionis attigerunt, quin ipsius etiam Augustini, usque ad exortum Pelagium, cujus hæresis sub initium quinti seculi cœpit emergere. Qui quum non modò peccatum originis negaret, sed etiam necessitatem divinæ gratiæ ad hoc, ut homines convertantur, credant & salventur, tolleret; Augustinus, ut necessitatem gratiæ contra Pelagianos sive demonstraret sive exaggeraret, eò usque est progressus, ut tribueret gratiæ divinæ non modò, quòd ab eâ sit facultas credendi & ad Deum sese convertendi, verùm etiam quòd per eam homines ad credendum seseque convertendum determinentur, atque adeò non possint non converti & credere. Id autem dependere ab absoluto salvandi proposito sive decreto: nempè quòd Deus quosdam homines salvari velit absolutè, & ab æterno voluerit. His itaque gratiam illam determinantem conferri, reliquis non item; atque adeò hos juxta absolutum illud Dei de ipsorum salute propositum sive decretum necessariò servari, reliquos perire. Sic igitur Augustinus

guſtinus, ut neceſſitatem gratiæ fortiùs adſereret, & adverſarium premeret, primus abſolutum nonnullos homines, cæteris excluſis, ſalvandi decretum invexit. Cum quo quia ſtare non poteſt, quòd DEUS velit omnes homines ſervari, uti diſertè docet Apoſtolus; ea verba torquere, & ſi fas eſt fateri, corrumpere cœpit. 1. Tim. 2, 4.

XVI. Hanc ſententiam, tùm quòd per eam magnitudo divinæ gratiæ erga ſalvandos maximè extolli, & humanis viribus, quidquid iis Pelagiani tribuerent, per compendium adimi videretur, tùm quòd eſſet Auguſtini (cujus auctoritas & exiſtimatio merito magna) multi in Latinâ ſive Occidentali Eccleſiâ egregii viri amplexi ſunt & ſequuti. Proſper inprimis, & Fulgentius Ruſpenſis in Africâ Epiſcopus.

XVII. Cæterùm nonnulli longiùs adhuc provecti ſunt. Quum enim ex ſententiâ Auguſtini crederent, Deo placere, & ab æterno placuiſſe, ut pleriſque mortales in peccatis ſuis & damnatione relinquantur; addiderunt, Deo etiam ab æterno placuiſſe, atque adeò decretum fuiſſe, ut illi peccarent & peccando damnationem incurrerent. Tales Monachi Adramytteni: item quos Prædeſtinatianos vocarunt, quorum meminit Arnobius Junior in Pſalmum CIIX, & Sigebertus Gemblacenſis ad annum CCCCXV: item Lucidus presbyter, contra quem ſcripſit Fauſtus Regienſis: item Godſcalcus monachus, à Rabano & Concilio Moguntino damnatus anno DCCCXLIIX. Nonnulli duram hanc opinionem Auguſtino impingere conati fuerunt, vel certè ex ejus placitis deducere: quibus reſpondit Proſper.

XIIX. Interim apud multos, imò pleroſque in Eccleſiâ Latinâ obtinuit ſententia Auguſtini, ab ipſo etiam

Magistro sententiarum & Thomâ Aquinate & melioribus Scholasticis recepta.

XIX. Ubi visum fuit Deo reformationem diu expetitam & summè necessariam in Occidentali Ecclesiâ moliri, & primis ejus sive auctoribus sive administris contra nonnullos ex Scholasticis divinam gratiam imminuentes & viribus humanis nimium tribuentes atque adeò Pelagianismo obnoxios agendum erat; non modò Augustinum illi sunt sequuti, & ab absoluto salvandi proposito gratiam determinantem certis hominibus conferendam derivarunt, sed etiam additamenta Prædestinatianorum de hominibus ad perpetranda peccata & subeundam damnationem divinitus destinatis admiserunt.

In 8. caput ad Romanos,

XX. Philippus Melanchthon Commentario in epistolam ad Romanos id fecit: quin *non minùs Judæ proditionem, quàm Pauli conversionem Dei opus esse* adseruit. Idem in Locis suis communibus primarum editionum, contingentiam planè tollit. *Libertatem*, inquit, *homini adimit divina prædestinatio. Eveniunt enim omnia juxta divinam prædestinationem, cùm externa opera, tum internæ cogitationes, in omnibus creaturis. — Obsecro quid hac sententiâ clarius dici potuit. Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoq; ad diem malum?* Quod Lutherus vidit & approbavit, quippe qui hos ipsos Philippi Locos, quum anno superioris seculi XXV in librum suum de Servo arbitrio præfaretur, *non solùm immortalitate, sed canone quoque ecclesiastico dignos* pronunciavit. Et ipse in illo libro paria passim proponit, adserit, tuetur. *Hic est*, inquit, *summus fidei gradus, credere illum esse clementem, qui tam paucos salvat, tam multos damnat; credere justum, qui suâ voluntate nos necessariò damnabiles facit, ut videatur delectari cruciatibus miserorum, & odio*

Tomo 2. edit. primæ Witteberg. pag. 467.

& odio potiùs quàm amore dignus. Si igitur posſem ulla ratione comprehendere, quomodo is Deus ſit miſericors & juſtus, qui tantam iram & iniquitatem oſtendit, non eſſet opus fide. Item: *Deus abſconditus in majeſtate neque deplorat neque tollit mortem, ſed operatur vitam, mortem, & omnia in omnibus. — Non vult mortem peccatoris, verbo ſcilicet: vult autem eam voluntate illâ imperſcrutabili.* Agens de verbis, EGO INDURABO PHARAONEM, non admittit interpretationes per quas *excuſetur Deus, ne ipſe ſit autor & culpa noſtræ indurationis. Fruſtra*, ait, *dicitur, quidquid dicitur, pro excuſando Deo, & accuſando libero arbitrio.* Item, *Si præſcivit Deus Judam fore proditorem, neceſſariò Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ aut illius creaturæ aliter facere aut voluntatem mutare.* Item, *Deus merâ ſuâ voluntate homines deſerit, indurat, damnat.* Rurſus: *Si placet tibi Deus indignos coronans, non debet etiam diſplicere immeritos damnans. Si illic juſtus eſt, cur non hîc juſtus erit? Illic gratiam & miſericordiam ſpargit in indignos, hîc iram & ſeveritatem ſpargit in immeritos; utrobiq; nimius & injuſtus apud homines, ſed juſtus & verax apud ſeipſum. — Quomodo hoc juſtum ſit, ut immeritos damnet, incomprehenſibile eſt modò, creditur tamen, donec revelabitur Filius hominis.*

pag. 479. pag. 493. pag. 497. pag. 498. pag. 503.

XXI. Talia in iſto libro plura occurrunt: quin totus eò tendit, ut cuncta hominum facta, & qui hinc dependent eventus, non aliter quàm fiunt, nec contingenter vel voluntate & arbitrio humano, ſed ex unicâ & merâ voluntate, diſpoſitione & ordinatione divinâ fieri credantur. Nempe ſub finem ita loquitur: *Si credimus verum eſſe, quod Deus præſcit & præordinat omnia, tum neque falli neque impediri poteſt ſuâ præſcientiâ & prædeſtinatione; denique nihil fieri, niſi ipſo volente, id quod ipſa ratio cogitur* conce-

pag. 524.

concedere: simul ipsâ ratione teste, nullum potest esse liberum arbitrium in homine, vel angelo, aut ullâ creaturâ. Tandem librum finiens & concludens: *Ego*, inquit, *hoc libro non contuli, sed asserui & assero, ac penes nullum volo esse judicium, sed omnibus suadeo, ut præstent obsequium.*

XXII. Quòd hisce gemina, studio amplificandæ divinæ gratiæ & imminuendarum virium humanarum, docuerint Zvinglius, Calvinus, Beza & horum adsectlæ, id nimis notum est, uti etiam hoc, quòd eo nomine apud nostros malè audiant.

XXIII. Factum autem est per contentiones in Belgio cum Arminianis, quos vocant, agitatas, ut si non omnes, certè plerique, horrida illa & quæ sententiæ Augustini superaddita sunt, missa fecerint, & ad Augustini dogma accesserint, juxta quod, Deus quidem ex genere humanô suâ ipsius culpâ & diaboli fraude in peccatum & exitium prolapso, aliquos ex absoluto beneplacito & decreto liberat & servat; non tamen simili, prævisionem peccatorum antegresso decreto, ullos in necessitatem peccandi & subeundæ damnationis præcipitat.

XXIV. Nostri, è quibus olim multi itidem absolutum decretum approbarunt, paullatim ad sententiam primorum quatuor seculorum, nempè decretum juxta præscientiam factum, sese receperunt. Quâ in re multùm & egregiè laboravit D. Ægidius Hunnius. Difficile autem est hanc sententiam ita proponere, ne quid Pelagianismo affine habere videatur: quemadmodum sanè Pelagianismi Hunnium accusant tum Daniel Tossanus Calvinista, tum Adamus Tannerus Jesuita.

XXV. Quum itaque hodie sententiæ de Prædestinatione reductæ sint ad istas duas, unam quæ primorum qua-

quatuor seculorum fuit, & à nostris probatur, alteram quæ est Augustini & Reformatis arridet ; quemadmodum hæ duæ sententiæ per annos mille & diutiùs in ecclesiâ simul toleratæ fuerunt , ipsíque dissentientes sese mutuô tolerarunt, uti etiam hodie inter Pontificios, apud quos eædem dissensiones vigent, sese mutuo tolerant: ita quoque apud Reformatos tolerari poterunt, & fortè debebunt, præsertim quum qui Augustini sententiæ inhærent quidquid peccant, peccent studio asserendæ Dei gratiæ & gloriæ, & quòd, quomodo aliter Pelagianismum effugere detur, nec intelligant nec assequantur.

XXVI. Quæ hinc inde apud alterutros occurrunt loquutiones duræ & horridæ, silentio involvantur & consepeliantur. Sufficit neminem hodie esse, qui eas probet aut imitetur. Quamque verò partem , honoris & existimationis magistrorum & coryphæorum suorum studiosam esse, & nolle, ut odiosè in opprobrium eorum vertatur, si quid per æstum condentionis inconsideratiùs effuderint, ab humanitatis indole non est alienum. Quod in Luthero nostro ferimus, & in ejus ignominiam rapi nolumus, id, quod alios pari culpæ obnoxios attinet, itidem contegi patiamur. Agnoscamus viros quoque magnos interdum esse hallucinatos, & eorum potiùs virtutes æmulemur , quàm nævos ostentemus.

XXVII. Conabimur simili sive exemplo quodam discrimen, quod est inter opiniones de Prædestinatione, sive Electione & Reprobatione, ob oculos ponere. Esto ingens lacus: in ripâ ejus pueruli ludunt plurimi; accedit viator, & omnes eos in lacum præcipites agit, certò ibi perituros. Nonnullos tamen, lacum subintrans, exitio eripit , quos scilicet ei pro suo beneplacito visum eripere:

reliquos

reliquos nec eripit, nec vult eripere, sed prorsus, quemadmodum projecit & exitio involvit, ita projectos & involutos relinquit. Ad eum modum se habet Zvinglii, Calvini, Bezæ & aliorum opinio. Deus ab æterno intuitus est humanum genus, ut nondum lapsum, sive ut constitutum in integritate ante suum lapsum: unde in Belgio Antelapsariorum vel Supralapsariorum nomen illis inditum. Decrevit autem & voluit, ut laberetur, & damnationi fieret obnoxium: inde pro mero suæ voluntatis beneplacito alios statuit liberare, alios perpetuæ damnationi devovere.

XXIIX. Augustini sententiæ typus fuerit, si dicas, pueros ponè lacum ludibundos suâ lasciviâ & proterviâ sese in lacum immersisse: venire virum robustum, & animadverso submersionis præsentissimo, quod omnibus & singulis immineat, periculo, sese in lacum demittere, & quum possit omnes eripere, nolle tamen, sed pro lubitu suo alios extrahere, alios relinquere, nullâ aliâ ratione, quàm quòd ipsi placeat illos servari, & inservatis, quantum hac in parte possit, ostendi, istos autem perire, suæque temeritatis & petulantiæ pœnas luere. Ad eumdem modum ex sententiâ Augustini, & plerorumque, nisi fallor, hodiernorum Calvini sectatorum, Deus suo decreto homines in lacum peccatorum & damnationis non projecit, sed ipsi suâ culpâ prolapsi sunt. Ita verò prolapsorum alios pro suo beneplacito, & ut ipsi videtur, ad ostendendam benignitatem suam eripit; alios, in argumentum suæ severitatis & justitiæ, præterit & relinquit. Quum pari ratione omnes tractare ei esset integrum, quantâ gratiâ & benignitate paucos, quos servat, prosequatur, ex reliquorum desertione & interitu clariùs innotescit. Quantum hæc sententia priore sit mitior, & minùs in Dei bonitatem impingat, ne-

gat, nemini potest esse obscurum. Et quamvis cum dictis, *DEUS OMNES VULT SERVARI, ET NEMINEM PERIRE*, conciliari nequeat, divinæ tamen gratiæ quamvis non extensivè intensivè tamen exaggerandæ studet, imò hac fini est inventa, & tolerari porrò potest, quemadmodum hactenus in Augustino & Augustini adseclis, ultra annos mille non modò tolerata fuit, sed etiam à multis magnisque Ecclesiæ doctoribus probata. Taceo in Luthero longè duriorem deprehendi, & toleratam esse.

XXIX. Pergamus eundem typum nostræ & primorum quatuor seculorum sententiæ aptare. Quum autem hæc ipsa duplici modo proponi possit, uno quidem, ut Pelagianum aliquid involvat aut redoleat; alio autem, ut cum Pelagianismo commune nihil habeat: juxta priorem modum, priore loco eam proponemus. Concedi verò nobis volumus, ut liceat fingere sive ponere, prolapsu in lacum ita pueros istos omnes esse debilitatos & fractos, ut licet in aquis, sive quousque aquæ pertingunt, membra sua movere & manibus pedibusque uti valeant, extra tamen aquam sive supra ejus superficiem, ne digitum quidem erigere, nec oculorum suorum aciem ad quidquam adspiciendum exerere possint. Hoc ipso figurari volumus, lapsu protoplastorum atque inde derivato in omnes originali peccato factum esse, ut etiamsi homines facultatem intelligendi & volendi illa, quæ allucente naturali lumine dijudicari possunt, non amiserint, mysteria tamen fidei ad salutem cognitu necessaria nequeant adsequi, nec supernaturalia bona appetere & eligere. Prioris typus esto, quòd immersi pueri intra aquas membra movent; posterioris, quòd illa supra aquas tollere non valent. Intuetur immensum hunc mundi lacum Deus opt. max. & omnium

in eo palpitantium, & porrò in profundum ſempiterni exitii iturorum, quoniam miſeri omnes ſunt & miſericordiæ indigi, miſeretur, & ereptos atque ſervatos cupit. Mittit unigenitum ſuum Filium, qui tamquam robuſtus gigas, lacum ingreditur, animo & deſiderio omnes eripiendi & ſervandi. Placet autem tùm Patri tùm ipſi, ut peculiari quadam ratione, rationali creaturæ congruâ, nempè non ſine ſervatoris ſui agnitione ſive intuitu, quin & quadam ſuâ cooperatione ſerventur. Vult enim omnes ſervari, ſed voluntate non abſolutâ (quia tunc neceſſariò ſervarentur omnes) verùm ordinatâ ſive conditionatâ, quæ ſemetipſam ad ordinem quemdam & conditiones, quarum interventu liberatio & ſalus obtingat, demiſit ſive adſtrinxit. Promittit igitur & offert omnibus & ſingulis liberationem & ſalutem, ſi oculos elevent, Servatorem illum ſuum adſpiciant, & manui, quam ipſe ad eos extrahendos porrigit, ſuas manus inſerant, id eſt, Servatorem Filium Dei agnoſcant, in eum credant eique obtemperent. Hîc jam Pelagiani docent, omnes præſtare iſta poſſe, nec ad præſtandum peculiari ope vel gratiâ divinâ indigere. Negant videlicet prolapſu in lacum fractas eſſe omnium vires, ut ultra ejus ſuperficiem nec oculorum aciem nec manum vel digitum attollere poſſint, id eſt, negant lapſu protoplaſtorum eſſe factum, ut in omnes originale peccatum pervaſerit, omnesque privati ſint viribus Adamo primitus concreatis, ad mandata Dei perfectè ſervanda, & quibuscunque ad ſalutem opus fuerit, exactè præſtanda, neceſſariis.

XXX. Hæc autem opinio ab Eccleſiâ Chriſtianâ ſemper fuit improbata, & inter hæreſes relata. Nempè absque ſpeciali Divinâ ope & gratiâ nemo poteſt in Chriſtum

ſtum credere, & vitam verè Chriſtianam vivere. Ut typo noſtro inhæreamus: Nemo è lacu & exitio iſto poteſt eripi, niſi ſervatorem illum, qui lacum eſt ingreſſus, adſpiciat, & porrectæ manui ſuam manum inſerat: ſed idipſum nemo ſibi relictus valet præſtare, quin ad hoc requiritur & neceſſaria eſt ipſius Servatoris gratia, per quam fiat, ut qui immerſi ſunt aquis, ultra aquas oculos attollere & manus exerere poſſint.

XXXI. Hic jam ſumma occurrit difficultas explicandi, quomodo ſimul conſiſtant, Deum velle omnes ſervari, & tamen omnibus fidem & gratiam, ſine quâ ſervari nequeant, non largiri: ſive, ſecundum noſtrum typum, Servatorem iſtum velle omnes in lacum prolapſos eripere, & tamen nolle eripere, niſi eripientem adſpiciant, & manus porrigant, quod illi tantùm poſſint, quibus ipſe largiatur. Alii, dum ſe expedire nequeunt, voluntatem ſervandi omnes negarunt, & abſolutam, reſpectu eorum qui reapſe ſervantur, invexerunt: alii ad Pelagianismum declinarunt.

XXXII. Nempè Pelagianismus eſt in noſtro typo, ſi dicatur: Immerſos non eſſe ita viribus fractos, quin poſſint, modò velint, oculos & manus ultra aquæ ſuperficiem attollere. Verum quidem eſt, homines etiam poſt lapſum homines eſſe, & retinere humanas vires & facultatem intelligendi & eligendi, quæ intra terminos naturæ continentur, & judicio rationis ſibi relictæ ſubjiciuntur. In Chriſtum autem credere, & deſideria carnis, ne in mortali noſtro corpore regnent, conſtanter reprimere, non eſt virium naturæ, ſed, quemadmodum loquimur, aliquid ſupernaturale. Pelagianismus, inquam, in noſtro typo fuerit, oculos & manus altiùs elevare, quàm ipſa aqua ejuſque ſuperficies

perficies se porrigit. Sed in aquâ movere lacertæ, idque omne quod superficiem aquæ non excedit, videre, à Pelagianismo est alienum.

XXXIII. Hoc posito, pergamus adumbrare, quo pacto, quòd pleriqúe pereant, Deo & divinæ voluntati, tanquam renuenti servare, non sit imputandum, sed ipsis illis, qui pereunt: quomodo item iis qui servantur, non tribuendum, quòd suis viribus agant illa quæ earum limites excedunt, & ad peculiarem gratiam & operationem Divinam referri oportet.

XXXIV. Dicit ille noster gigas: Equidem vos omnes, qui immersi estis & in mortis periculo versamini, servare cupio: sed quum homines sitis, ita volo vos servare, ut meæ actioni aliqua actio vestra respondeat. Itaque me adspicite & manum meæ manui inserite; sic eripiam & servabo vos. Hos autem fateri oportet, sese id non posse: adeò videlicet viribus defectos, ut quidquid ultra superficiem aquæ eminet, nec oculis queant videre, nec manibus attingere. Regerit gigas noster: Esto, ita sese habeat, ecce à me remedium. Infundam aquis, quibus mergimini, oleum mirabili & naturam superante virtute, à me inditâ, præditum, quod per universum lacum & loca, in quibus hæretis, diffusum, cujuscunque corpus attigerit, ei non quidem necessitatem imponet, facultatem tamen præbebit me adspiciendi, manumque meam ad extrahendum porrectam apprehendendi. Hoc oleum est Evangelium ubique terrarum prædicatum, quod est organum divinum ad fidem & salutem hominibus impertiendam destinatum; cum quo, per aures ad mentem immisso, conjuncta est gratia Divina supernaturalis, per quam præstatur, ut homo qui sibi relictus pridem non poterat adsensum

ſeuſum & fidem præbere, jam poſſit. Facultatem itaque credendi, quâ deſtitutus antea erat, conſequitur; neceſſitate tamen nullâ adſtringitur, quia ſi indoli & pravitati ſuæ frenos laxet, poteſt *reſiſtere & obniti Spiritui ſancto, & verbum Dei repellere*, quemadmodum de Judæis conquerun- Act. 7, 51. 13, 46.
tur Stephanus protomartyr & Apoſtolus Paulus. Quòd itaque homo Evangelium audiens & conſiderans credat; imò credere poſſit, accepto ferendum eſt non naturæ viribus, ſed gratiæ cum Evangelio connexæ & per illud ſuppeditatæ. Quòd autem poſitâ etiam gratiâ poſſit refragari, congenitæ pravitati indolique imputandum. Quia enim per gratiam quidem ſuam Deus efficax eſt & operatur, non tamen potentiâ abſolutâ, ſed conditiones & ordinem admittente; inde fit, quòd ſucceſſu & eventu fruſtrari poſſit.

XXXV. Id autem hîc obſervandum eſt, poſito, quòd Deus Evangelium revelaverit, & paſſim inter homines per homines prædicari faciat; non eſſe ſupra vires naturæ, quòd quis Evangelium audiat, & quæ in eo proponuntur, concipiat, conſideret, & cum iis, quæ ab aliis, Judæis puta vel Mahumedanis, tamquam divinitus revelata proferuntur, comparet. Hoc non eſt oculos vel manus ultra aquam attollere, ſed tantùm ipſius aquæ ſuperficiem ſtringere. Oleum illud à Servatore infuſum ſuapte ſponte affluit & immerſos alluit. Quòd ſi aliquantulum abſit, & invicinis partibus hæreat, quia nihilominus ipſi aquæ ejusque ſuperficiei innatat, poteſt à noſtris immerſis videri: poſſunt etiam juxta hypotheſin in aquis eò usque ſe movere, ut ad loca, in quibus oleum natat, veniant, ejusque contactu alluantur. Quod ubi factum fuerit, virtute ejus olei adipiſcuntur vires & facultatem oculos &

manus ſupra aquas & in altum extollendi; nempè intuendi ſuum Servatorem, ejuſque manum porrectam apprehendendi. Poſſunt nihilominus, etiamſi oleum affluxerit, eoque ſatis largè alluantur, nolle tamen oculos & manus tollere : ipſum enim, ut diximus, facultatem tollendi impertit, neceſſitatem non imponit. Poſſunt affluens & appropinquans manibus in aquâ agitatis rejicere, & quò minùs appellat, prohibere : poſſunt, ubi affluere viderint, ſeſe ſubducere : poſſunt è locis, in quibus abundat, ad alia, in quibus nullum habetur, prorepere. Quod itaque facultatem oculorum & manuum ſurſum tollendarum alii non conſequuntur, alii, quamvis conſequuti fuerint, vel ad uſum non transferunt, vel rurſus excutiunt, & proinde pereunt, id ſibi ſuæque pervicaciæ & perverſitati imputent; gigantem illum noſtrum ſive Servatorem omnibus ſuccurrere paratum non accuſent. Qui verò oculis ſublatis & manibus manui injectis ſervantur, tùm ſalutem ſuam, tùm quæ ſalutem illis attulerunt, nempe quòd Servatorem intuiti manum ejus apprehenderint, & quòd intueri ac apprehendere potuerint, benignitati Servatoris, & virtuti olei, quod ille adinvenit, attulit & affudit, non autem ſibi ſuísve viribus, quales ex ſe erant, quum in lacu jacerent, tribuant.

XXXVI. Ita evitatur, quantum nobis quidem perſpicere datum eſt, Pelagianismus, nec quidquam viribus naturæ, quatenus talibus, adſcribitur, niſi quod iis poteſt competere. Quis enim neget per eas præſtari poſſe, quod earum virtutem non excedit, & intra ſphæram rerum, in quas ipſæ aliquid poſſunt, imò in ſenſus incurrentium, continetur? Non tamen in promtu fuit Auguſtino Dei de ſalvandis hominibus conditionatum decretum & unà

unà necessitatem gratiæ explicare & defendere. In disputationibus itaque contra Pelagianos, quum huic derogare, vel viribus humanis quidquam incompetens tribuere videretur, illud rejicere & in absolutum commutare maluit. Fuga igitur & odium Pelagianismi, & studium asserendi & extollendi gratiam Dei, absolutum decretum peperere. Et profectò utraque φάσις specioſa est & favorem meretur: quin, uti diximus, opus & labor est conditionatum decretum ita explicare, ne quid nimium homini & humanis viribus, ante collatam supernaturalem gratiam, tribui videatur. In hac materiâ perquam difficili & perplexâ, cujusque exquisitam enodationem, sub pœnâ amittendæ æternæ salutis, Deus à nemine exigit, qui ita versantur, ut ab unâ parte Deum peccati & exitii auctorem non faciant, ab alterâ necessitatem gratiæ agnoscant, etiamsi in cæteris nonnullis accuratiùs explicandis & inter seſe combinandis, utpote ab imbecillitate captus nostri remotioribus, dissideant; se nihilo minus invicem mutuâ æquanimitate & caritate, ut Christianos decet, tolerare & amare & possunt & debent.

XXXVII. De Prædestinatione plura diximus, quàm sub initium animus erat dicere. Transeamus ad doctrinam de Unione personali duarum in Christo naturarum. Credit autem utraque pars unum & eumdem esse verum Deum & verum hominem, unam, inquam, esse personam, quæ & Deus sit & homo, sive & divinâ constet naturâ & humanâ, secundum hypostasin unitis, ita ut veriſſimè & realiſſimè de Deo enunciari possit ac debeat, quòd sit homo, sit natus, passus, crucifixus, mortuus; & rursus de hoc ipso homine, quòd sit Deus, æternus, immensus, creator cœli & terræ: quodque uni huic & eidem personæ

sonæ divina competant, ratione divinæ, & humana, ratione humanæ naturæ, utràque videlicet per unam personalitatem inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè & inseparabiliter unitâ. Plura nosse vel credere, quod hunc articulum attinet, ab homine Deus, ut ad sui commercium, fruitionem & æternam gloriam eum admittat, non requirit: quî itaque nos ab eo, ut ad nostram amicitiam & societatem eum admittamus, plura requiramus ? imò quomodo salvâ caritate, quam Deo & proximo, & salvo, quod divinis mandatis debemus, obsequio, odisse & rejicere possumus eum, quem Deus amat & admittit? Non tantum tribuamus nostris speculationibus, subtilitatibus & sequelis, quas fundamento, quale modò expositum fuit, inædificamus, sæpe, sicut sunt humana, fallacibus, ut omnes, qui de earum certitudine & veritate ambigant, communione tùm fidelium in terris, tùm beatorum in cœlis excludamus. Non hanc nobis potestatem fecit Deus, non hoc nostri esse voluit libitus & arbitrii : nec placere ei poterit vel probari, si indebitam & illicitam usurpemus.

XXXIIX. Accedit quòd etiamsi olim fortè fuerint, qui dicerent, *Homo est Deus, est creator cœli & terræ; Deus est homo, est mortuus*, & similes enunciationes non nisi verbales esse ; hodie tamen nemo sit, qui ad eum modum loquatur, & reales esse non admittat : quòd tùm nostri, tùm Calviniani anathematismos Ephesini & Confessionem Chalcedonensis Conciliorum, quibus formulæ de hoc mysterio loquendi, non idiotis, sed ipsis Ecclesiæ doctoribus præscriptæ sunt, amplectuntur: quòd Nestorii, Eutychis, Monotheletarum & similium hæreses & commenta, omnes ex æquo repudiant & damnant.

XXXIX. Superest quæstio, de dotibus & sublimitate,

mitate humanæ naturæ, ſive per ipſam unionem perſonalem ſive per inſequutam exaltationem, glorificationem & ſeſſionem ad Dei dexteram collatis, ita ut de eâ in abſtracto, quemadmodum loquuntur, enunciari poſſint. Majores eſſe, quàm ut humana mens capere, vel lingua effari queat, omnes fatentur. Sed, ſi adſequi non poſſumus, quid ſcrutamur? quare acquieſcere nolumus, niſi diſtinctam, id eſt, perfectam cognitionem adepti ejus rei, quam diſtinctè ſive perfectè à nobis cognoſci non poſſe, ipſi fatemur? Divinitatem quoque & infinitam atque increatam ejus potentiam per humanitatem, non quemadmodum per Prophetas & Apoſtolos aliquando operata fuit, ſed tamquam per ſuum ipſius proprium ſibique perſonaliter unitum organum operari, itidem omnes fatentur. Neque tamen propterea de humanitate divinas proprietates, quaſi humanitati in ſe & formaliter inſint, enunciandas eſſe, à noſtris docetur, uti tùm in aliis, tùm Saxonicâ Confeſſione videre eſt. Supereſt igitur, ut quum formaliter ſive ſecundum intrinſecam denominationem enunciari nequeant, ſecundum extrinſecam enuncientur. Quod Calvinianos admiſſuros eſſe exiſtimo. Sed quotusquisque eſt vel inter eos qui eruti audire cupiunt, qui hæc intelligat? Cur nosmetipſos perplexitatibus & difficultatibus involvimus, à quibus nos Deus immunes eſſe voluit? Experimento conſtare poſſit, ſi de hiſce boni Chriſtiani & fideles, quos in gratiâ Dei eſſe, & viam ſalutis rectè & feliciter ambulare nemo dubitet, interrogentur, plurimos, imò plerosque nihil planè reſponſuros, & an affirmare vel negare debeant, ignoraturos: aut, ſi quid reſpondere conentur, vix umquam, quod ad ſcopum collimet, prolaturos. Fixum autem eſto & firmum, propter quam ignorantiam vel er-

rorem Deus neminem suâ gratiâ aut cœlo excludit, nos quoque caritatem & societatem & Christiana officia subtrahere nemini debere. Qui Dei sunt amici, nostri etiam sunto; ne ipsi ejus amicos, contra quàm fieri vult, odiamus, amici esse desinamus.

XL. Quid autem faciemus infausto de Ubiquitate vel Omnipræsentiâ carnis Christi sive humanitatis, certamini? Quæ Ubiquitas non modò nostros cum Calvinianis, sed ipsos etiam inter se fœdè collisit. Quin multis occasio fuit, quum ad eam profitendam adigerentur, ut ad Calvinianos transire maluerint. Primus autem mortalium, qui eam, quod equidem sciam, excogitavit orbique Christiano proposuit, Jacobus fuit Faber Stapulensis, qui sub initium superioris seculi commentario in XII caput prioris ad Corinthios hæc, quæ sequuntur, perscripta reliquit. *Corpus Christi cœlum implet & terram, est enim ubicunque verbum Dei est. Nam verbum caro factum est, quare verbum nusquam est sine carne, caro illa sine verbo. Videte ne corporalis imaginatio vos hîc ludat, loca multiplicans, spacia distendens. Neq; hîc locorum multiplicatio, neq; spaciorum distensio intelligitur: sed plenitudo sine loco, supra locum omnem, infra locum omnem, extra & intra omnem, sine spacio, supra & infra omne spacium, extra & intra omne spacium. Et corpus Christi super spirituali illo modo, qui sine modo est, nulli comparabile, nulli proportionabile est: sed corporali modo, quo in terris visus est, & comparabile & proportionabile est. Hoc: ex assumptâ infirmitate, & modum & comparationem proportionemq; admittens. Illud autem: ex assumente virtute modum, comparationem omnem, omnemq; proportionem diffugiens. Id ratio imaginationi juncta non attingit, neque rationaliter in se ipsa manens. Verùm absurda utriq; loquitur & effingit, sed extra se evadens super-*

ſupernaturaliter ſuperiori imenti infusâ virtute, ubi neq; loca, neq; ſpacia, neq; numerus, neq; multitudo, neque tempus cogitantur, vera ſentit, & vera loquitur. Loquitur quidem ut ineloquibilia, incomparabilia & inproportionabilia dici queunt, & quodammodo ineloquabiliter. Verùm aliàs, ſi Deus aſpiraverit, de hac materiâ amplius.

XLI. Portenta verborum arguunt novitatem opinionis, & ingenium auctoris, inſolentiæ & novitatis amans. Qui in ipſis etiam illis commentariis, non hanc modò, ſed plures quoque alias, contra unanimem priſcæ Eccleſiæ ſententiam, novitates commentus fuit. Nempè in caput V ad Romanos, peccatum originis in ſolâ moriendi neceſſitate ſive obligatione conſtituit. Quibus adverſus ſe cenſuras Pariſienſium & calamum Natalis Beddæ provocavit, defenſus tamen, utpote qui aliquam ex literis celebritatem indeptus eſſet, patrocinio Franciſci Regis, quemadmodum ex quincto quoque Sleidani libro intelligi poteſt. Scribens in XIV caput Johannis, eamdem cramben reponit. *Magna eſt fides*, inquit, *Chriſtum corporaliter eſſe, ubi ſacramentaliter eſt. Sed major eſt, cognoſcere, eum abſolutè ubiq; corporaliter eſſe. Nam hoc eſt ſine modo cognoſcere, illud cum modo. Fides autem, quæ eſt absq; modo, major eſt, quàm quæ modum habet, & illud quodammodo propter hoc eſt, ut contractum propter abſolutum.*

XLII. Alter à Fabro Stabulenſi, qui omnipræſentiam carnis Chriſti adſereret, B. Lutherus fuit. Quum à parte Zvinglii contra præſentiam in Sanctâ Euchariſtiâ objectum fuiſſet, Chriſtum corpore ſuo in cœlum adſcendiſſe, & ad dexteram Dei conſediſſe; ille in æſtu diſputationis, objectionem conatus fuit invertere, & ex eapſe ad divinam dexteram ſeſſione, omnipræſentiam corporis

Christi, & consequenter præsentiam in Sanctâ Eucharistiâ, evincere: nempè si corpus Christi vi sessionis ad dexteram Dei ubique adsit, omninò etiam in Eucharistâ adesse. Verba sunt in libro, Quòd verba, Hoc est corpus meum, firma subsistant, scripto anno superioris seculi XXVII. Wie wenn wir euch dasselbe Schwert nehmen / und schlügen euch damit den Kopff ab / und beweisetē eben mit dem Spruch / daß Christus Leib müsse im Abendmahl sein / damit ihr wolt beweisen / es müsse nicht da sein / wolt ihrs nicht für ein recht Davids Thätlein halten? Wolan / sehet und höret uns zu. Christus Leib ist zur Rechten Gottes / das ist bekand. Die Rechte Gottes ist aber an allen enden. So ist sie gewißlich auch im Brod und Wein über Tische. Wo nun die rechte Hand Gottes ist / da muß Christus Leib und Blud sein ꝛc. — Was wil nun hie werden? Es wil daß daraus werden / wenn Christus im Abendmahl diese Wort (daß ist mein Leib) gleich nie hette gesaget noch gesetzet / so erzwingens doch diese Wort (Christus sitzet zur Rechten Gottes) daß sein Leib und Blut da müge sein / wie an allen andern Orten. Et post aliqua: So spricht auch Christus Johannis am dritten: Niemand fehret gen Himmel / denn der herab gefahren ist / nemlich / des Menschen Sohn / der im Himmel ist. Damit er ja anzeiget / daß sein Leib zugleich im Himmel und auff Erden ja schon bereit an allen Enden ist. Ad eum modum in fervore concertationis primùm enata & inter Reformatos audita est omnipræsentia sive ubiquitas carnis Christi, anno, ut diximus, cIↃ IↃ XXVII. Huic autem Lutheri libro Responsionem oppositi Johannes Oecolampadius: aliam item Zvinglius, Johanni Electori Saxoniæ inscriptam, in quâ disertè rejicit illud Lutheri effatum, *Corpus Christi, quemadmodum & divinitas ipsius, ubique locorum præsens est.*

Tomo 3. Jenensi, post edit. pag. 353.

XLIII. Se-

XLIII. Sequente anno pergit Lutherus, & Majorem ſuam de Cœnâ Domini confeſſionem edit, quâ acerrimè in Zvinglium ejusque ἀπολογίαν invehitur, & inter cætera modum adſerendi præſentiam corporis Domini in Euchariſtiâ per ejusdem ubiquitatem, in priore libro à ſe propoſitum, defendit; ita tamen, ut præcisè non affirmet, huic ubiquitati præſentiam in Euchariſtiâ imputandam eſſe, & absque hac ſi ſit, præſentiam eam nullam fore; ſed potiùs oſtendit, præſentiam, de quâ controvertitur, & quam adverſarii nullo prorſus modo poſſibilem eſſe docent, vel hoc modo, quum tamen plures alii Deo in promtu ſint, poſſibilem eſſe. Verba ejus ſunt: Denn das ich beweiſete / wie Chriſtus Leib allenthalben ſey / weil GOttes rechte Hand allenthalben iſt / das thät ich darumb / (wie ich gar öffentlich daſelbſt bedinget) daß ich doch ein einige weiſe angezeigete / damit GOtt vermocht / daß Chriſtus zugleich im Himmel / vnd ſein Leib im Abentmahl ſey / vnd vorbehielt ſeiner Göttlichen Weißheit und Macht / wol mehr weiſe / dadurch er daſſelbige vermöcht / weil wir ſeiner Gewalt ende noch maß nicht wiſſen. Tomo 4. Jen. pag. 454.

In libro item priore de firmitate verborum in hunc modum loquitur: Darauff ſtehen / gleuben und lehren wir auch / daß man im Abendmahl warhafftig und leiblich Chriſtus Leib iſſet und zu ſich nimpt. Wie aber das zugehe / oder wie er im Brod ſey / wiſſen wir nicht / ſollens auch nicht wiſſen / GOttes Wort ſollen wir gleuben / und ihme nicht weiſe noch maß ſetzen. Pag. 341.

XLIV. Cæterùm nihilominus, ut verum fateamur, in Majore iſtà Confeſſione tres ſtatuit modos præſentiæ: unum localem & circumſcriptivum, qui corporibus ſecundum naturam; alterum definitivum, qui ſpiritibus incorporeis; tertium repletivum, qui Deo immenſitate ſuâ

cœlum & terram replenti competat: & hunc ultimum carni Christi per unionem cum Divinitate, obtigisse.
Pag. 458. Nu er/ ait, ein solch Mensch ist/ der übernatürlich mit GOtt eine Person ist/ und ausser diesem Menschen kein GOtt ist/ so muß folgen/ daß er auch nach der dritten übernatürlichen weise sey und sein müge allenthalben/ wo GOtt ist/ und alles durch und durch voll Christus sey/ auch nach der Menscheit.
Pag. 462. Et post multa: Ausser den Creaturen ist nichts denn GOtt/ und diese Menscheit ist darnach auch ausser den Creaturen/ so muß sie sein/ da GOtt ist/ das feilet nimmermehr. Wesentlich aber kan sie nicht GOtt sein. Aber weil sie oben aus über alle Creatur an den wesentlichen GOtt reichet und klebet/ und ist da GOtt ist/ so muß sie zum wenigsten Persönlich GOtt sein/ und also auch an allem Ort sein/ da GOtt ist. Mox autem in hunc modum concludi: Ach was rede ich von so hohen Dingen/ die doch unaussprechlich sind/ und für den einfeltigen unnötig/ für den Schwermern aber gar umbsonst ꝛc. Certè quum hactenus omnipræsentia carnis Christi, ad Stapulensem & Lutherum usque, in universâ ecclesiâ fuerit incognita & inaudita, etiam porrò (utut super solido aliquo fundamento exstructa foret) ignorari potuisset: nec ejus credendæ vel idiotis vel eruditis aliqua imponi potuit necessitas.

XLV. Sunt autem duo illa, quæ produximus, loca, unum videlicet ex libro ϖϖ̃ τ῀ ῥητ῀, alterum ex Majore Confessione, vel unica, vel præcipua, quibus à B. Luthero ubiquitas adstruitur: idque, ut ostendimus, ab eo factum, dum adversariis fervidus instat, & præsentiam corporis Domini in Eucharistiâ quovis modo stabilire satagit. Liber ϖϖ̃ τ῀ ῥητ῀ prodiit, uti quoque paullò antè diximus, anno superioris seculi XXVII; Major Con-

Confesſio XXIIX. Proximo, nempè XXIX, habitum eſt auſpiciis & curâ Illuſtriſſimi Philippi Haſſiæ Landgravii, Colloquium Marburgenſe: in quo inter Lutherum & Zvinglium de cæteris articulis convenit, præterquam de Euchariſtiâ. Conſcriptorum ibi articulorum ſecundus & tertius agunt de incarnatione & perſonâ Chriſti: de quibus myſteriis inter utramque partem fuit conſenſus. Lutherus igitur omnipræſentiam, tamquam dogma, cujus adſenſum exigeret, nec habuit, nec urſit. Sequutus eſt annus XXX, quo Auguſtæ exhibita Confeſſio, cujus itidem tertius articulus de iisdem agit myſteriis, nullâ vel tenuiſſimâ omnipræſentiæ mentione factâ. Nec umquam in ullis eo & pòſt ſequuto tempore inter Evangelicos & Pontificios habitis Colloquiis & diſputationibus, omnipræſentia, in quæſtionem aut controverſiam venit. Lutherus igitur eam negligi & ſilentio ſepeliri paſſus fuit. Quin anno XXXVII, quum articulos Smalcaldicos ſcriberet, de articulis Trinitatem, Incarnationem & Perſonam Chriſti attinentibus, *nullam inter ſe & adverſarios* Pontificios *controverſiam eſſe*, diſertè adſeruit, *quum illos*, inquit, *utrimque confiteamur*. Quid autem de iis articulis hactenus docuerint aut doceant Pontificii, ex eorum ſcriptis, præſertim Scholaſticorum unanimi ſententiâ, cognoſci oportet. At quum in omnibus illis de omnipræſentiâ ne γὲ quidem occurrat, manifeſtum eſt Lutherum itidem eam miſſam feciſſe, & de conſenſu in doctrinâ de Perſonâ Chriſti cum iis, qui ubiquitatem nullam noſſent vel admitterent, conteſtatum fuiſſe.

XLVI. Huc faciunt verba ejus, inter gnomas, amicorum libris olim inſcriptas, octavo operum Germanicorum tomo inſerta. Wie kan Chriſtus Leiblich im Sacra= Pag. 340.

Sacrament sein / so doch ein Leib an vielen Orten zugleich nicht sein kan? Hierauff antwort ich also/Christus hat gesaget/ er wolle da sein / darum ist er warhafftig im Sacrament/und dazu leiblich. Darum ist er warhafftig da. Und soll auch keine ander Ursach solcher Leiblichen gegenwertigkeit gesuchet werden/ denn diese / die Wort lauten also / darum muß es also geschehen / wie sie lauten. Was aber den Leib belanget/ kan Christus/ wenn er nur will/ allenthalben oder an allen Orten sein. Darum hat es ein ander meinung mit seinem und unserem Leib. Vom Allenthalben/ oder an allen Orten sein / soll nicht disputiret werden. Es ist viel ein ander Ding in diese Sache. So reden auch die Schultheologen hie nichts vom Allenthalben/ sondern behalten einfeltigen Verstand von der Leiblichen gegenwertigkeit Christi. Suffragatur Martinus Chemnitius in Examine Canonis primi Tridentini de sacramento Eucharistiæ. *Fundamentum*, ait, *præsentiæ corporis Christi in Cœnâ, Lutherus monuit non esse collocandum in disputatione de ubiquitate, sed in veritate verborum institutionis.* Hæc adjicere voluimus, ut pateat, Lutherum tandem ubiquitatem missam feciſſe: certè super eâ cum nemine contendisse.

XLVII. Ex eo itaque, quamdiu in vivis fuit Lutherus, quievit ea contentio. Quam aliquot post ejus obitum annis, nempè circa cIↃ IↃ LX, nonnulli sopitam & diuturno silentio obrutam, è cineribus quasi resuscitarunt, quorum facilè principes Johannes Brentius & Jacobus Andreæ. Neque lubet neque opus est historiam totam hîc intexere. Constat autem hunc posteriorem nulli operæ peperciſſe, donec ubiquitatem aliis persuasiſſet, aliis obtruſiſſet. Neque tamen omnibus Augustanam confessionem amplexis, sive, ut vocantur Lutheranis, persvadere

dere eam potuit: non Danis, non Holsatis, non Norimbergensibus, non Helmstadiensibus, non aliis pluribus. Stat igitur ab Ubiquitate hodie aliqua saltem pars eorum qui Lutherani dicuntur: contra eam verò quidquid reliquorum est Christianorum toto orbe, cùm Orientalium sive Græcorum, tùm Pontificiorum, tùm Calvinianorum, nititur. Neque præter rem censeri potest, quod scribit vir magni judicii M. Antonius de Dominis libro suo VII, capite XI, num. V. *Ubiquitatem corporis Christi adhuc magis, quàm est transsubstantiatio, absurdam, magisque impossibilem omnis bonus Theologus semper respuet*: adserere eam *neq; est boni Philosophi, neq; boni Theologi.*

XLIIX. Speramus autem illos, quibus adhuc Ubiquitas arridet, prudentiores & moderatiores esse, quàm ut eam pro articulo ad salutem necessario venditent, vel gehennæ, quotquot dissentiunt, adjudicent: habebunt, nisi fallor, pro sententiâ, quæ ex creditâ sive unione personali, sive sessione ad dexteram Dei, adminiculo consequentiarum ab ingeniis acutis & perspicacibus, & in mysteria altiùs quàm vulgus fidelium solet, penetrantibus, eruta fuerit. Quamquam eorum, qui ejusmodi acumini & negociationi rationis circa articulos fidei, & consequentiis haut multum tribuere solent, esset considerare & perpendere, num consequentiæ istæ validæ sint, & opinionem, de quâ quæritur, inferant & efficiant. Quod si maximè evinci posset, ut sine dubio evinci minimè poterit, non tamen quidquid ad eum modum à sagacioribus elici, à tardioribus autem intelligi nondum potest, inter articulos fidei referri, & his ab illis sub jacturâ Christianæ communionis obtrudi debet. Qui verò in parte sunt Calvini, quantum datur intelligi, quamvis Ubiquitatem erroneam du-

cant, sine dispendio tamen Christianæ unionis & caritatis, parati sunt tolerare, modò etiam ipsi tolerentur. Ubi odia fervorque contendendi resederint, tempus & studium in sententiis examinandæ & ad Scripturam, unanimemque venerandæ antiquitatis consensum exigendis porrò collocandum, multa mitigabit aut emendabit. Quamvis igitur Ubiquitas ab aliis approbetur, ab aliis rejiciatur, non tamen videtur obstare, quò minùs inter se Christianam pacem & concordiam colant.

XLIX. Diximus, in æstu certaminis de præsentiâ corporis Domini in Eucharistiâ Luthero, dum totus fervet & undequaque adversarios premere annititur, novam & incommodam Ubiquitatis sententiam excidisse. Nunc ad ipsam illam controversiam, quæ primam Schismati caussam præbuit, & perpetuum, nisi Deus avertat, fomentum præbitura videtur, & cujus ideò potissima ratio habenda fuerit, accedamus. Sacramentum Eucharistiæ multis & tetris abusibus ac superstitionibus hactenus apud Pontificios deformatum, ut vix aliud religionis caput parem calamitatem expertum erat. Panem benedictum ab usu remotum, quòd nil nisi ipsissimum Christi corpus esse crederent, adorabant, & vulgo adorandum proponebant: quin ut Sacrificium propitiatorium (vocabulo hoc strictè & in formali significatione accepto) habebant & offerebant: atque adeò Missas, ut vocant, solitarias, communicantium expertes frequentissimè celebrabant; rarò autem, adhibitis communicantibus. Hisce erroribus & pravitatibus abolendis intenti erant primi Reformationis duces & auctores. Quod omnino rectum erat. Quæ est autem humani ingenii imbecillitas, quomodo id rectè fieret, non omnes in istis initiis æquè pervidebant. Alii igitur huc prolapsi sunt,

ſunt, ut exiſtimarent abuſus, quos diximus, aboleri planè non poſſe, quamdiu corpus Domini in Euchariſtiâ præſens eſſe crederetur. Neceſſe erat abuſus aboleri. Præſentiam itaque negare ſimiliter neceſſe fore, ſibi perſvadebant. Quum autem plana & perſpicua Chriſti verba obſtarent, ad ea torquenda intrepidè acceſſerunt: quod non uno modo ab ipſis factum.

L. Quale fuerit ingenium, & quæ intentia Andreæ Carolſtadii, qui primus negandi, torquendi & pervertendi initium fecit, haut mihi facilè eſt exponere. Philippo ſanè Melanchthoni in epiſtolâ ad Fridericum Myconium dicitur *homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrinâ: ſine ſenſu communi. quem nullum*, inquit, *umquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animad-vertimus; tantum abeſt, ut in eo ſignificatio aliqua Spiritus ſancti animad-verſa ſit: imò exſtant manifeſta impietatis.* Hæc & plura in eamdem ſententiam de Carolſtadio Philippus. Olim tamen Lutheri, cui etiam Doctoris titulum contulerat, ſummus fuerat amicus, & in diſputatione Lipſienſi adverſus Eccium anno cIↃ IↃ XIX inſtitutâ, ſocius & ϖϑαπάτης. Eodem anno Lutherus ſuum in Epiſtolam ad Galatas commentarium Carolſtadio dedicaverat: quem etiam *ſincerioris Theologiæ aſſertorem facilè primarium, præceptorẽ ac majorem ſuum in Chriſto*, appellaverat. Vide tomum primum Epiſtolarum Lutheri à Johanne Aurifabro editarum, pag. 132 & 158. Quum autem poſt comitia Wormatienſia Wartbergæ Lutherus deliteſceret, Carolſtadius, interea quoque maritus factus, Witebergæ multa innovat, Euchariſtiam ſub utraque ſpecie adminiſtrat, elevationem ejus abolet, imagines & ſtatuas è templis amovet. Lutherus itaque Witebergam è receſſu ſuo redit, Carolſtadium re-

 prehen-

prehendit & reprimit. Hinc inter utrumque odii & dissidii exordium. Quâ de re ad Gasparem Guttelium in hunc modum ipse scribit Lutherus, Dominicâ Lætare, anno cIↃ IↃ XXII. *Ego Carolstadium offendi, quòd ordinationes suas cassavi, licet doctrinam non damnarim, nisi quod displicet, in solis ceremoniis & externis faciebus laborasse eum, neglectâ interim verâ doctrinâ Christianâ, hoc est, fide & caritate. Nam suâ ineptâ docendi ratione eò populum perduxerat, ut sese Christianum arbitraretur per has res nihili, si utraque specie communicaret, si tangeret, si non confiteretur, si imagines frangeret. En malitiam Satanæ, ut per novam speciem molitus est erigere ad ruinam Evangelii. Nam hæc ego quæsieram hactenus, ut conscientiæ ab istis contrariis faciebus liberarentur, & res ipsa per sese rueret communi consensu. At ille cupiebat fieri subitò novus magister, & suas ordinationes in populo, pressâ autoritate meâ, erigere.*

Tomo 2 epist. pag. 56.

L. Carolstadius igitur à Luthero alienior factus Witebergam reliquit, & Orlamundam Thuringiæ oppidum, ad munus Ecclesiastæ obeundum, discessit: meditatus interea, quomodo præsentiam corporis Domini in Eucharistiâ, & simplicem sensum verborum huc facientium, convelleret. Neque id dissimulavit, sed subinde in vulgus extulit & disseminavit. Gliscente verò sub id tempus, (anno videlicet cIↃ IↃ XXIV, ad Salam motu plebis, ad eum sedandum jussus est ab Electore Lutherus eò se conferre, & sermonibus populum erudire, & ad modestiam componere. Venit itaque Jenam, & concionem die XXII Augusti habuit; cui interfuit Carolstadius. Quod autem spiritum Sacramento derogantem & statuas demolientem, cum spiritu seditioso, Lutherus ad populum verba facies, conjunxerat, & unum eumdemque esse dixerat; id ad suam injuriam pertinere ratus Carolstadius, colloquium

quium Lutheri popoſcit. Cujus quum copia fieret, ad diverſorium ab atro urſo cognominatum, in quo Lutherus hoſpitabatur, accedens, multis præſentibus, eum adloquitur; & ſe à ſeditione alienum affirmat, de ſacramento autem diverſa ab aliis ſentire non negat. Inter cætera, Ich weiß/ait, fürwar/daß kein Menſch hievon auff die Weiſe/ Meinung und Grund/ als ich/ nach den Apoſteln/ geſchrieben und gelehret/ bekenne mich auch frey hiezu. Daß es aber der mörderiſch Geiſt ſey — ſage ich nein zu. Longâ contentione exacerbatis animis tandem dixit Lutherus: Schreibet wieder mich öffentlich/und nicht heimlich. Karll. Wenn ich deñ wüſte/ daß euch ſo gach darnach wehre/ es dörffte euch zu theil werden. Luth. So thut es. Karll. wollan. Luth. Thuts/ ich will euch einen Gülden dazu ſchencken. Karll. Einen Gülden? Luth. Wenn ichs nicht thue/ſo ſey ich ein Schalck. Karll. Gebet jhr jhn mir den/ſo nehme ich jhn wahrlich an. Da grieff Doct. Lutter in ſeine Taſchen/und zog einen Goltgülden heraus/und gab ihn den Karllſtadt/und ſprach/nembt hin und greifft mich nur tapffer an/ friſch auff mich. Karllſtad nam den Gülden/ zeigt jhn allen Beyſitzern und ſprach/ lieben Brüder/das iſt Arrabo/ ein Zeichen/ daß ich macht habe wieder D. Lutter zu ſchreiben/ und bitte euch alle/ jhr wollet mirs bekentlich und Zeugen ſein. Lutter. Es darffs nicht. Vnd Karllſtad krümmet jhn/ und leget jhn in ſeinen Beuttel/ gab D. Lutter die Hand darauff/ und D. Lutter tranck jhm ein trunck druff zu/ und Karllſtadt thet jhm beſcheid/ ſprach darnach/ Herr Doctor/ſo bitte ich euch/ jhr wollet mich am Trucken nicht verhindern/ wollet mir auch ſonſt keine verfolgung oder hindernis an meiner Nahrung zuſchantzē/ deñ ich gedencke mich mit dem Pflug zu nehren/ was den der Pflug geben wird/ ſolt jhr woll innen werden. Luth. Wie wolt mir das anſtehen daß ich euch hindern ſolte/

Hæc acta habentur tomo 2 Jenenſi, Pag. 447. & ſeqq.

solte/ so ichs begehre daß ihr wieder mich schreiben solt. Es sprach auch der Fürstliche Prediger zu Karllstad/ der Doctor soll euch an der Nahrung nicht beschädigen noch Schaden zufügen. Da sprach Karllstad zu D. Lutter/ Nun wolan/ feile ich ewer/ so sey es mein Schade/ und also gaben sie einander die Hände.

LII. Hic fuit exitus istius colloquii, & exordium infausti, pernicioſi & hactenus implacabilis dissidii, conjuncti non cum minore Pontificiorum, superstitionibus suis inhærentium, tripudio, quàm infirmorum scandalo, bonorum & moderatorum cordolio, & universæ Reformationis impedimento. Ita ex parvâ scintillâ non modò in repub. sed etiam in Ecclesiâ ingens sæpe oritur incendium. Carolstadius quidem post dies non ita multos ditione Electoris Saxonici ejectus est, annuente Luthero; cujus eâ de re liber adversus cœlestes Prophetas, aliquanto post initium, videri potest. Exul Argentinam se contulit, atque ibi sub anni finem contra Lutherum Scripta nonnulla edidit, quibus sub proximi, nempe cIↃ IↃ XLV exordium, Lutherus librum, quem modò memoravimus, titulo adversus cœlestes Prophetas insignitum, opposuit. Ipse in epistola ad Nicolaum Hausmannum: *De Eucharistiâ differo scribere, donec Carolstadius prodierit, sua venena profusurus, ut mihi promisit, accepto etiam aureo nummo à me: quamquam jam potiorem partem insulsorum ejus argumentorum teneo. Zvinglius cum Leone Judæo in Helvetiis cum Carolstadio eadem sentiunt; ita latè serpit hoc malum.*

Tom. 1. Jen. pag. 44. & 49.

Tom. 2 edist. pag. 243.

LIII. Zvinglius videlicet, uti etiam Oecolampadius, animo jam tum agitaverant, quomodo superstitionibus Pontificiis, quibus sacramentum Eucharistiæ hactenus contaminabatur, occurrerent. Haut igitur ægrè acceperunt, præsentiam corporis & sanguinis Domini in Eucharistiâ

ristiâ à Carolstadio negari: quamvis expositionem verborum Domini, quâ ille utebatur, non probarent, sed alias paullò concinniores comminiscerentur. Lutherus sanè fatetur, scribens circa hoc ipsum tempus ad Georgium Spalatinum, se quoque aliquando, quod eam rem attinet, *fortiter fuisse tentatum.* Et in epistolâ ad Ecclesiam Argentinensem: *Hoc diffiteri nec possum nec volo, quodsi Carolstadius aut alius quispiam ante quinquennium mihi persuadere potuisset, in sacramento præter panem & vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi devinctum reddidisset. Gravibus enim curis anxius in hac excutiendâ materiâ multùm desudabam, — quum probè perspiciebam, hac re Papatui cumprimis me valde incommodare posse.* Tom. 2 epist. pag. 269. Pap. 250.

LIV. Quum igitur ad incommodandùm Papatui hujusmodi cogitationibus pridem dediti essent Zvinglius & Oecolampadius, eas, occasione à divulgatis Carolstadianis scriptis arreptâ, hoc ipso cIↃ IↃ XXV anno in publicum protulerunt: Zvinglius quidem tùm epistolâ ad Matthæum Alberum, Ecclesiasten Reutlingensem, tùm Commentario de verâ & falsâ religione, huncque mox insequuto Subsidio de Eucharistiâ; Oecolampadius autem libro, cui titulus, *De genuinâ verborum Domini, Hoc est corpus meum, juxta vetustissimos auctores expositione*, inscripto *dilectis in Christo fratribus, per Sueviam Jesum Christum annunciantibus*, qui sub finem ejusdem anni Halæ Suevorum congregati, numero XIV, Oecolampadio responderuut, confecto & emisso Syngrammate, cujus auctor putatur Brentius. Rem agunt placidè, amanter & honorificè compellato Oecolampadio, quem *patrem in Christo honorandum*, item *fratrem in Christo amicissimum* vocant; & dissensionem suam *amicam dissensionem* appellant. Utinam pari lenitate

semper

ſemper tractata fuiſſet hæc controverſia! Non procul ab initio libelli in hunc modum loquuntur. *Optime Oecolampadi, planè nobis perſuaſum eſt, te facilè pro agnatâ tibi modeſtiâ, imò pro Chriſtiano candore, paſſurum, ut tantiſper de pane & vino Cœnæ Dominicæ à tuâ opinione diſſentiamus, dum Dominus & tibi & nobis τὸ ἀυτὸ φρονεῖν dederit.* Si eâ mente vel hodie eſſemus, tranquillitati Eccleſiæ & concordiæ Chriſtianorum conſuleretur. Prior ſanè ad ipſos ſcripſerat Oecolampadius: *Error condonari poteſt, modò fides adſit in Chriſtum. Diſcordiam, neque ſi ſanguinem fundamus, expiabimus.* Fuit autem Oecolampadius linguarum & antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione, variaque eruditione & humanitate eximius, ut de eo ipſe ſcribat Lutherus libro

Tomo 4 Jen. pag. 343.

περὶ τῶ ῥητῶ Dem Oecolampad hat Gott viel gaben geſchenckt für viel andern. In epiſtolâ ad Nicolaum Hauſmannum: *Doleo ex corde, Oecolampadium tantum virum, captum frivolis & nihili argumentis.* Et in aliâ ad eundem: *Dolet mihi valde nobiliſſimum virum Oecolampadium &c.* Theodorus Bibliander, Præfatione epiſtolis Oecolampadii ac Zvinglii præmiſſâ: *Zvinglio fuit ingenium ardens atq; vehemens, Oecolampadio mite atque oleo tranquillius.* Zvinglius itaque videtur fuiſſe ingenio Helvetico, id eſt, fervido & vehemente, cui proinde ſuum Saxonicum Lutherus objecerit.

Tomo 2 epiſt. pap. 319.

Pag. 326.

LV. Sed & aliud fortè humanum quid intervenit, animosque offendit, & contentionem exacerbavit. Scribit Zvinglius in Opere ſuo articulorum, Explanatione articuli XIIX: *Cœpi ego Evangelium prædicare anno ſalutis decimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum, eo ſcilicet tempore, quum Lutheri nomen in noſtris regionibus nec auditum adhuc erat.* Hinc Conradus Geſnerus in Bibliothecâ: *Primus in Helvetiâ circa annum cIↃ IↃ XVI zelo Domini captus*

captus fundamenta Evangelii jacere cœpit, & paullatim enitens paucis annis divinâ gratiâ tantum effecit, ut in hunc usq; diem sincera fidei prædicatio liberè progrediatur. Sanè post multos annos nepos Zvinglii avo ὁμώνυμος, in Continuatione Genealogiæ Petri Pictavienſis Galli abs ſe editæ, auſus fuit ſcribere, quòd avus ſuus *jam antè apud Claronenſes cœperit Evangelium purè prædicare, priusquam Lutherus in publicum prodiret, aut nominis illius ulla mentio fieret.* Lib. 4. pag. 180. Qui cætera omnia, & non modò fortunas, ſed vitam quoque ipſam contemnere poſſunt, ſæpè tamen gloriam, quæ ejus eſt dulcedo & humana imbecillitas, ſusque deique habere, & alios in conſortium ejus, quam ſibi ſolidam tribui malunt, admittere nequeunt. Quin quò majore quisque eſt animi magnitudine, eò laudis eſt cupidior, & transferri ad alios, quam ſibi deberi credit, indigniùs fert. Non eſt itaque mirum, vel ab animo, quali Lutherus præditus fuit excelſo, alienum, ſcripſiſſe illum ad miniſtros Eccleſiæ Argentinenſis; *Chriſtum à nobis primò vulgatum audemus gloriari: at hujus negationis* (fortè *gloriationis*, aut *negotiationis*) *jam traducit nos Zvinglius.* Tomo 2 epiſt. pag. 302. Item: *Intolerabile eſt illis loquentibus* (Zvinglio & Oecolampadio) *tacere, & turbantibus noſtram Eccleſiam, & extenuantibus noſtram autoritatem cedere: cogitent, ſi ſuam docendi autoritatem metuunt ac nolunt minui, nec noſtram minuendam eſſe.* Tandem ex vehemente animi motu in hæc verba prorumpit, *Summa, alteros oportet eſſe Satanæ miniſtros, vel ipſos, vel nos: ideò hîc nulli conſilio aut medio locus.*

LVI. Cæterùm ad Syngramma Suevorum revertamur. Ex eo ſanè, qualem præſentiam & manducationem corporis Domini ſtatuant, haut facile eſt intelligere, ita rem ſæpè involvunt. Certè non video aliud eos docere,

quàm corpus Domini fide manducari: ore manducari nullibi affirmant, sed potiùs semel atque iterum negant. Volunt autem ipsum corpus secundum substantiam suam fidei nostræ, quum ea in id fertur, sive ab eâ ipsum manducatur, reapse præsens esse. Quâ adsertione à Zvinglio & Oecolampadio discrepant. Quin videntur omne id, quod juxta ductum & præscriptum Divini Verbi fides apprehendit, secundum suum reale esse, fidei animoque credentis præsens facere. Sed præstat ipsorum verba adscribere, & judicium lectori relinquere. *Quum Christus dixit, CORPUS MEUM PRO VOBIS TRADITUR, & SANGUIS MEUS PRO VOBIS EFFUNDITUR, nónne in hoc verbum corpus & sanguinem concluſit, (absit verbo invidia) usq; adeò, ut quicumq; hoc verbum arripit & credit, fideq; tenet, arripiat, accipiat & habeat verum corpus & verum sanguinem Christi, eum scilicet, qui pro nobis effusus est, non spiritualem, sed carnalem? Siquidem sanguis spiritualis non est pro nobis effusus, sed carnalis. Jam cùm solum Verbum tantæ est energiæ, ut ad nos adferat corpus Christi corporale, illud scilicet, quod pro nobis traditum est, & sanguinem corporalem, qui pro nobis effusus est, cur non eamdem energian retineret, cùm ad panem & calicem accedit?* Paullò post libri medium: *Non opinamur quemquam tam impiè sentire, qui neget fidem sanguinem bibere, & carnem Christi edere. Sic enim ait Jobannis sexto: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cujus? fidei. nam fides edit carnem Christi, & bibit sanguinem ejus, dum credit. Jam si fides edat carnem, & bibat sanguinem, consectaneum est carnem & sanguinem fidei præsentia esse; siquidem, si non essent præsentia, non possent edi aut bibi, aut, si mavis, credi: quandoquidem Deum ipsum edere, hoc est, credere, nemo potest, nisi cui Deus fuerit præsens. Impiis absens*

absens est & infidelibus, proinde nec illi Deum edunt, hoc est, in Deum non credunt. Breviter, fides ut habet Deum præsentem, si credat in Deum; ita si edat corpus & sanguinem bibat, hoc est, credat, habere oportet corpus & sanguinem præsentia. Quis autem fidei Deum præsentem facit (non enim de eâ nunc præsentiâ loquitur, quâ Deus omnia implet, sed quâ piis adest) nisi Verbum? — Porrò quum Verbum Deum cum omnibus suis bonis fidei præsentem offerat, cur Verbum idem non faceret in corpore & sanguine Christi? quando hæc nostra sunt dona, & bis è mortis, peccati, inferni, adeoque Satanæ faucibis erepti sumus. Johannes ait, Sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato. Si 1 Epist 1. 7. *igitur sanguis nos emundat, oportet sanguinem nobis præsentem esse, siquidem res absens non emundat. — Quid autem sanguinem nobis adferat, nisi Verbum, non videmus. Fides, inquis, sanguinem offert nobis. Sed unde fides sanguinem accipit, nisi à Verbo? Fides enim non est fides, nisi in verbum directa sit. Verbum fidei objectum est; Verbum fidei offert, quidquid accipit aut credit.* Item: *Fides rem longissimè pro mundi captu posi am, sibi præsentissimam facit, & vidit.* Post aliqua: *Quum corpus Christi carne nos edere adseveramus, licebit interimut à suâ humanitate impetremus, ne aliter quàm candidâ interpretatione accipias. Nam edimus corpus & bibimus sanguinem carne, non ut corpus Christi atteramus & frangamus, ut est in revocatione Berengarii, sed panem ipsum, quà panis est, tractamus, frangimus, edimus & dentibus atterimus. Corpus autem accipimus, quà Verbum accipimus, HOC EST CORPUS MEUM, ut pulcerrimè quidam dixit, Quod edimus, intrat ventrem; quod credimus, intrat mentem.* Rursus: *Porrò quòd fide manducandum sit corpus, & bibendus sanguis, nihil adimit pani, ut non sit corpus. Ut enim non propterea Christus carne caruit, quòd Petrus aut alius Apostolus ederit eum spiritualiter; ita non propte-*

corpus Christi in pane esse negandum est, quòd spiritualiter sit manducandum. — Quemadmodum nemo tam stupidus est, qui diffiteatur, Verbum Evangelii spiritualiter, hoc est, fide recipiendum esse, ut maximè auribus carnalibus recipiat. Et ut fides verbum, quod auribus capitur, pro suâ ratione recipit; ita & corpus, quod pane accipitur pro ratione fide adsumitur. — An Evangelion externum non ideò Evangelion erit, quod spiritu audiendum sit? ita quis colligere auderet, panem Cœnæ non esse propterea corpus, quòd corpus Christi fide edendum sit.

LVII. Hæc & plura similia in Syngrammate suo Suevi, qui licet præsentiam corporis Domini in Eucharistiâ urgeant & adstruant, ubique tamen fide manducari affirmant, ore sumi & comedi nuspiam dicunt. Quamquam quod propriè & non figuratè comeditur, non nisi ore comedi potest. Nihilominus hoc scriptum ita Luthero placuit, ut germanicè voluerit vertere, nisi ab alio præventus fuisset: cujus tamen versionem & editionem Præfatione ornavit, quæ exstat tomo tertio Jenensi, paginâ 285. Es ist ein lateinisch büchlin / inquit, Syngramma genant / durch die Prediger in Schwaben außgangen / — welches mir so wol gefiel / daß ich dasselbe willens warzuverdeutschen ꝛc.

LIIX. Equidem mihi facilè patior persvaderi, Brentium Syngrammatis auctorem esse, quum videam ab eodem post biennium editam fuisse Exegesin in Johannem, in quâ ad caput sextum Evangelistæ doceantur ipsa illa, quæ in Syngrammate, & aliquanto etiam dilucidiùs. Multa sunt, quæ ibi in eamdem sententiam leguntur: è quibus pauca saltem adscribemus. *Non quærimus, an panis substantia mutetur in corporis substantiam, ut præter accidentia, quæ sic vocant, nihil remaneat in pane: ne quærimus, an in pane ita carnaliter corpus subsistat, quemadmodum ratio humana in*

pane

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [172] - 44
PUBLIC DOMAIN

pane corpusculum quoddam imaginari solet. — Itaque hoc solum quærimus, an pane & vino Cœnæ Dominicæ distribuantur & donentur fidei nostræ corpus & sanguis Christi. Hoc si comprobatum fuerit, manifestum dein erit, quare panis dicatur verè esse corpus Christi, & vinum verè esse sanguis, non duntaxat significare. Primùm igitur neminem opinor tàm deploratæ fidei esse, qui eat inficias corpus & sanguinem Christi nostra esse dona. Nam si nobis per Christum donata est vita, si donata est remissio peccatorũ, quomodo non & corpus & sanguis donata nobis essent? — Quod si corpus & sanguis dona sunt, pro ratione igitur donarum distribuuntur fidei nostræ. At dona Dei dantur nobis credentibus per Verbum, & Verbi sacramenta. Proinde ut corpus Christi nobis per Verbum communicatur, ita & communicatur nobis pane Cœnæ per Verbum: & ut sanguis nobis per Verbum donotur, ita & nobis vino Cœnæ per verbum donatur. Et nonnullis interjectis: *Caro & sanguis sunt verè cibus & potus spirituales: perinde ut per verbum, ita etiam per sacramentum, fidei offeruntur & dantur corpus ac sanguis, ut habeat externus homo sua externa panem & vinum; internus verò sua interna & spiritualia, corpus & sanguinem in mysterio donata. — Corporis os accipit panem & vinum sensu, præter panem & vinum enim aliud non sentit: os fidei accipit suo etiam sensu corpus & sanguinem; ut corpus habeat in sacramento corporalia signa, & fides spiritualia, hoc est, rem ipsam & veritatem. — Quum satis manifestum fuerit, quòd corpus & sanguis fidei nostræ distribuantur per panem & vinum Cœnæ: videamus nunc, quâ ratione panis dicatur esse corpus, & vinum esse sanguis, non duntaxat significare seu adumbrare. Nam panem non esse ideò corpus, quòd mutetur in corpus, ut Papistæ somniant; aut quòd in pane subsistat corpusculum quoddam, suprà dictum est. Restat igitur, ut ideò dicitur corpus Christi esse, quia per panem fidei*

nostræ distribuitur corpus. Ita & de vino dicendum erit: ideò enim vinum sanguis est, quia per vinum fidei nostræ sanguis Christi donatur. — Panis jam corpus esse dicitur, non quia solùm significat, (sic enim abesset corpus,) sed quia instrumentum & medium factum est, quo verè & præsenter fidei nostræ corpus donatur ac distribuitur. Rursus: *In Cœnâ Verbo suo per panem dispensavit corpus suum fidei Apostolorum, non corporalis carnis sensui. Proinde non opus erat, ut Apostolorum os & gula præsentiam corporis in pane sentirent, nec necessarium fuit, ut panis mutaretur sensibiliter in corpus, sed satis erat corpus fide sentire.* Hæc & multa his similia inculcat Brentius Exegesi in sextum caput Johannis : quæ breviter & in compendium contracta proponit ad ejusdem capitulum penultimum. *Panis Cœnæ*, ait, *dicitur esse corpus Christi, non commutatione panis in corpus, aut imaginatione carnali corpusculi cujusdam sub pane latentis, sed distributione & præsenti exhibitione. Corpus enim Christi pane Cœnæ per Verbum fidei nostræ donatur & distribuitur.* Et post pauca: *Verum admodum est, corpus per panem significari, at non verum est ita significari, ut corpus præsenter fidei nostræ non distribuatur.*

LIX. Hæc profectò talia sunt, ut vix aliis verbis sententiam suam explicatum eant Calviniani. Ore corpus Christi manducari cavet dicere, adserere refugit: saltem fidei offerri, & à fide docet accipi; & propterea fidei præsens esse. Quod ipsum etiam contendunt Calviniani, hoc uno fortè discrimine, quòd fidem in cœlum subvectam corpus Domini præsens intueri & amplecti statuunt: Brentius autem fidei hîc in terris præsens esse & exhiberi docet. Prodiit Exegesis Brentiana anno cIↃIↃ XXVII: quo ipso Lutherus librum suum περὶ τοῦ ῥητοῦ, sive Quòd verba Domini, HOC EST CORPUS MEUM, firma consistant, edidit;

edidit; ut mirum sit, qui Brentium amaret, & Syngramma Suevorum probaret, hoc, quem diximus, libro in Zvinglium & Oecolampadium adeo invehi, ut *svermeros, blasphemos, idololatras, animarum pestes, organa & ministros diaboli* appellet; quum tamen controversam corporis Christi manducationem non minùs ad fidem restringant Brentius & Suevi, quàm Zvinglius & Oecolampadius. Anno sequente Majorem Confessionem emisit, nihilo in hos mitiorem. Utrique autem scripto in contentionis fervore Ubiquitatem inseruit, ut antea est expositum. Proximus clɔ Iɔ XXIX annus nobilis fuit congressu Marburgensi & declaratione consensus de cæteris omnibus fidei capitibus, præterquam de Eucharistiâ. Convenit itaque de Trinitate, Incarnatione & Personâ Christi, peccato originis, fide & justificatione, efficaciâ Verbi, Sacramentorum & ministerii Ecclesiastici, aliisque nonnullis capitibns, de quibus Zvinglius incommodas sententias foverat, aut fovere existimatus fuerat. De providentiâ & præscientiâ Diviuâ, & hinc derivatâ benè & malè agendi necessitate, silentium: quod hac de re utrimque consentirent. Collo qtiũ Marburgẽsu.

LX. De Eucharistiâ verò articulo XIV & ultimo in hnnc modum loquuntur. *Credimus & sentimus omnes de Cœnâ domini nostri Jesu Christi, quod utraq; specie juxta institutionem utendum sit: quòd Missa non sit opus, quo alter alteri, defuncto aut viventi, gratiam impetret: quòd sacramentum altaris sit sacramentum veri corporis & sanguis Jesu Christi; & quòd spiritualis manducatio hujus corporis & sanguis unicuique Christiano præcipuè necessaria sit. Similiter de usu sacramenti sentimus, quòd, sicut Verbum, à Deo traditum & ordinatum sit, ut infirmas conscientias ad fidem & dilactionem excitet per Spiritum sanctum. Etsi autem, an verum corpus & sanguis Christi*

Christi corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præsens sit, hoc tempore non concordavimus; tamen una pars alteri Christianam dilectionem, quantum cujusq; conscientia feret, declarabit, & utraq; pars Deum omnipotentem diligenter orabit, ut nos Spiritu suo in verâ sententiâ confirmet, Amen. Subscripserunt Lutherus, Melanchthon, Justus Jonas, item Andreas Osiander, qui Noribergâ, Brentius, qui Halâ Suevorum, & Stephanus Agricola, qui Augustâ venerant : ab alterâ verò parte Oecolampadius, Zvinglius, Bucerus & Caspar Hedio. Res confecta fuit die tertio Octobris : & articuli mox Wittebergæ typis excusi; inserti etiam germanicè tomo quarto operum Lutheri, & latinè Historiæ Confessionis Augustanæ, quam Chytræus edidit.

Pag. 469. Pag. 643.

LXI. Cupiebant quidem à Luthero se frares agnosci & haberi : sed impetrare non potuerunt. Nihilominus Philippus, Hassiæ Landgravius, cujus auspiciis hæc gerebantur, rem deinceps & quidem in celeberrimis illis Augustanis Comitiis, quum Confessio exhibenda esset, urgere non destitit. Bucerus autem præ omnibus aliis concordiæ fuit cupidissimus, ejusque conciliandæ gratiâ magnos labores subjit, conatus ostendere, dissensum esse non in re, sed in verbis, & modis loquendi. Suas etiam Formulas & Confessionem, quam nomine civitatum Argentinensis, Memmingensis, Constantiensis & Lindaviensis, Cæsari exhibendam scribebat, ita temperavit, ut utrique parti possent probari. Deinde ante exitum Comitiorum, Augustâ ad Lutherum, qui Coburgi eo tempore commorabatur, ut cum ipso de concordiâ ageret, profectus est. Ponebat autem fundamentum conciliationis in ambiguis formulis, quas una pars de manducatione figuratâ sive spirituali, & præsentiâ tali, sine quali manducatio-

cationem istam spiritualem per fidem non peragi statuebant: altera verò de propriâ & orali manducatione, & verâ præsentiâ veri corporis (nempè corporis in prædicamento substantiæ) acciperet: ut ita, si ad verba obiter attenderetur, specie tenus convenirent, aut saltem convenire crederentur, sive mera verba spectantibus & de sensu non sollicitis convenire appareret, etiamsi reapse & sententiis non convenirent. Qualis conciliandi ratio à Luthero & plerisque aliis prudentibus utriusque partis meritò rejecta fuit & improbata.

LXII. Bucerus tamen suum saxum volvere non desiit. Anno proximo, cIↃ IↃ XXXI videlicet, ad Ernestum Brunsvici & Luneburgi Ducem, qui superiore anno Augustanæ Confessioni subscripserat, de concordiâ literas dedit; Dux ad Lutherum, qui Kalendis Februarii respondens inter cætera hunc in modum scribit: *Quod Bucerus ait, de verbis solummodo certamen esse, id vel cum capitis & vitæ meæ periculo verum esse optarim. Profectò si res haberet, controversia hæc tanto intervallo non duraſſet, imò nullo umquam tempore cœpisset. Mihi sanè concordia non minùs cordi est, quàm ipsi, id quod Coburgi ex me copiosiùs intellexit. Ideoque jam sufficere judico (donec Deus plus largitus fuerit) si unicum hoc obtineamus, ut videlicet ab utraq; parte, satis nimirum mutuò admoniti & intellecti, scriptis pro & contrà abstineamus. Quumq; Dominus eam gratiam largitus sit, ut concedant, Christi corpus animæ in Sacramento adesse, in bonum spem erigor, ipsos progressu temporis etiam hoc daturos esse, quòd eodem modo ori seu externè in pane præsens sit, quum quidem nihil ego discriminis aut impedimenti animadvertam. — Et sanè si divina gratia consensionem largiatur, lætus moriar, & huic mundo, Deo volente, valedicam.* Hæc depromsimus ex historiâ Augu- Pag. 190.

 stanæ

ſtanæ Confeſſionis, quam germanè conſcripſerunt Doctores Timotheus Kirchnerus, Nicolaus Selneccerus & Martinus Chemnitius, latinè autem vertit Jacobus Godifridus, Chemnitii gener, editâ Lipſiæ.

An. 1583. 4.

LXIII. Anno ſequente conſultus Lutherus ab Alberto primo Boruſſiæ Duce, reſpondet eum in terris ſuis, ſi populo ſuo rectè conſultum velit, Zvinglianæ opinionis ſectatores tolerare non debere. Epiſtolam ſimul ac ſcripſit, etiam edidit; proſtantem hodie in fine tomi quinti Jenenſis editionis. Statim ab initio teſtatur, ſe poſthac cum illis de hac controverſiâ nihil tractaturũ. Ich habes wollen durch den truck laſſen außgehen/den Schwermern abermahl damit anzuzeigen/ daß ich nicht mehr gedencke mit ihnen von der ſache zu handelen. Addit, diabolum eorum eſſe magiſtrum: nihili eos facere, etiamſi convincantur, etiamſi divinitùs corripiantur & affligantur: quò refert cladem, quam ad Capellas propè Tigurum, ubi Zvinglius occupuit, à popularibus ſuis Pontificiis ſuperiore anno acceberant. Weil denn GOtt/ inquit, ſo gewaltig drein zeichnet/und mit der Straffe thätlich ſolchen Irthum verdammet/ und unſern Glauben beſtätiget/ ſo iſt es Zeit/ daß man auffhöre zu zweiffelen und zu diſputiren: ꝛc.

Pagi 488.

LXIV. Anno cIↃ IↃ XXXIII aliam adverſus eosdem Epiſtolam, acrem itidem & acerbam, ab ſenatum populumque Mœno-Francofurtanum in publicum emiſit, quæ exſtat in tomo Jenenſi ſexto.

Pag. 105.

LXV. Bucerus omnem nihilominus lapidem movere pergit, ne de ſopiendâ diſcordiâ & lite concepta ſpes decollet. Habetur ejus impulſu Conventus Conſtantiæ, in quo iterum de modo ineundæ concordiæ tractatum fuit, ut memorat Lavaterus. Edit etiam declarationem, quæ ita

Pag. 24.

Luthe-

Luthero artifit, ut denuo de concordiâ ſpem conciperet, eaque gratiâ ad Argentinenſes & Auguſtanos placidè & benignè ſcriberet. Nec interea quieſcebat Philippus Landgravius, qui Bucerum & Melanchthonem Caſſelas evocavit, ſub finem anni cIↃ IↃ XXXIV. Tulit eò ſecum Melanchthon conſilium Lutheri, ſeptem articulis comprehenſum. Primo improbat, controverſiam logomachiis imputari, quaſi hactenus alii alios non intellexiſſent. Secundo rejicit inventionem mediæ cujusdam ſententiæ, quæ neutrius partis conſcientiæ ſatisfaciat. Tertio docet pro verâ veri corporis præſentiâ facere perſpicuum textum Evangelii, & conſenſum antiquitatis. Quarto, quinto & ſexto agit de nonnullis Auguſtini dictis, quæ videntur Zvinglianis favere. Septimo demum, *Si hæc*, inquit, *quæ modò recitata ſunt capita, ſalva mihi atq; integra relinquantur, non multis opus eſt precibus. Teſtis enim mihi Deus eſt, me, ſi fieri poſſet, diſſidium hoc meâ vitâ ac ſanguine redemturum eſſe. Sed quid faciam? Fortè ipſi, conſcientiâ minimè malâ, altero intellectu conſtricti ſunt. Ideoq; libenter ipſos feremus: ſi innocentes & puri ſunt, Chriſtus ipſos facilè liberabit. Interim & ego profectò bonâ conſcientiâ altero intellectu conſtrictus ſum, niſi id fortè mihi accidat, ut memetipſum non agnoſcam. Itidem igitur me quoque tolerent, ſi deſcendere in meam ſententiam nequeunt.* Hæc ex hiſtoriâ à Kirchnero, Selneccero & Chemnitio conſectâ, paullò antè laudatâ. Ex quâ quæ à Bucero Philippus retulerit, & quid de iis Lutherus judicaverit, harum rerum avidi cognoſcere poterunt. Pag. 262.

LXVI. Exſtant etiam inter Conſilia Philippi à Pezelio edita epiſtolæ, quas reverſus hoc de negocio ad varios ſcripſit. Ad Camerarium: *Heri primùm, hoc eſt, die nono Januarii* (Anno cIↃ IↃ XXXV) *domum reverſus ſum ex* Pag. 238.

Cattis, quò me & Bucerum vocarat ὁ Μακεδὼν *Philippus Landgravius, ut ego nostrorum, ille suorum sententias afferret* ἐπὶ τὰς διαλλαγὰς *in illâ pervulgatâ causâ. Meam sententiam noli nunc requirere: fui enim nuncius alienæ*, nempè quam à Luthero
Pag. 247. præscriptam diximus. Ad Brentium die XXI Januarii: *Scripsisti mihi aliquoties de Sacramentariis, & concordiam dehortaris; etiamsi inflexerint se ad Lutheri sententiam. Mi Brenti, si qui sunt, qui de Trinitate aut aliis articulis à nobis dissentiunt, cum iis nullum mihi fœdus erit, & exsecrandos judico. Spero autem nullos esse inter eos, qui præsunt Ecclesiis in iis civitatibus, quæ nostris conjunctæ sunt. — Cæterùm de concordiâ nihil*
Pag. 249. *adhuc est actum. Tantùm sententias Buceri huc pertuli.* Et in aliâ Epistolâ: *Jussus sum ad te & multos alios scribere, & vestras sententias explorare, An tolerandos esse judicetis sic sentientes ac docentes? Quâ de re volo, ut mihi respondeas,* καὶ μὴ ἄγαν
Pag. 250. φορτικῶς Ad Bucerum ipsum: *Exhibui nostris Formulam Concordiæ scriptam à te, ut meministi. Dedi etiam Luthero tuas literas & reliqua tua scriptura. Primùm autem hoc tibi planè confirmo, Lutherum nunc amanter de te & tuis collegis sentire ac loqui. Deinde Formulam seu sententiam illam non damnat ille quidem, sed tamen paciſci nondum vult, sed agendum censet cum Osiandro & Brentio aliisq;, ut idem illis placeat. Præterea explorandas esse voluntates concionatorum in vestris urbibus. Etsi ego quidem exposui nostris ea, quæ de Suevicis concionatoribus narrasti. Est igitur mitior, sed tamen negocium differri*
Pag. 165. *vult.* Quin ipse, (ut habet historia trium doctorum) *datis ad Argentinenses Ecclesiæ pastores humanissimis literis, conventum aliquem instituit petiit.* in quo de concordiâ aliisque rebus inter non admodùm multos ageretur; fecitque potestatem, ut tempus nec non locum vel in Hassiâ vel Coburgi constituerent. Datæ fuerunt V Octobris in anno cIↃ IↃXXXV.

LXVII. Ecclesiæ itaque superioris Germaniæ quum Isenaci in Thuringiâ conventum cui Lutherus & Theologi interessent, haberi accepissent, miserunt eò Argentinâ Wolfgangum Capitonem & Bucerum, Augustâ Bonifacium Lycosthenem & Wolfgangum Musculum, Ulmâ Martinum Frechtum, aliunde alios, monitis priùs Helvetiis; qui tamen tempore excluſi, & quòd publicâ auctoritate invitati non essent, è suis neminẽ adjunxerunt: accinctis itineri nihilominus negocium concordiæ accuratè commendarunt. Illi profecti Isenacum, quum ibi, quos quærebant, non inveniſſent, Witebergam sese contulerunt, mense Majo, & post varios congressus atque colloquia consenserunt in Formulam à Melanchthone conscriptam, quâ fatentur, *cum pane & vino verè & essentialiter præsens adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi:* item, *sacramentali unione panem esse corpus Christi, hoc est, porrecto pane verè simul præsens esse, & verè porrigi corpus Christi:* item, *indignis verè exhiberi corpus & sanguinem Christi, & indignos verè accipere, quum institutio & mandatum Christi Domini servantur. Quum autem hoc tempore,* ajunt, *pauci nostrûm convenerint, & ad cæteros etiam concionatores & magistratus utrinq; referri hanc causam necesse sit: nondum concludere hanc concordiam possumus, priusquam ad cæteros etiam retulerimus.* Subscripserunt qui superiùs memorabantur; nec non Lutherus, Cruciger, Bugenhagius, Melanchthon, alii. Hæc acta sunt mense Majo; cujus die XXIIX, quæ Dominica Exaudi erat, Bucerus concionem habuit; postridie ipse & socii subscripserunt & ad discessum se accinxerunt. Sic enim hæc narrantur à Ludovico Lavatero in Historiâ sacramentariâ. Pag. 28.

Exstat in Historiâ Augustanæ confessionis Chytræanâ, pag. 680.

LXIIX. Addit, ab Helvetiis, sub initium hujus anni Basileæ Synodum celebrantibus, scriptam fuisse Confessionem, in quâ loquantur ad hunc modum: *In Eucharistiâ panis & vinum signa sunt; res autem, communicatio corporis Christi, parta salus & peccatorum remissio, quæ quidem percipiuntur fide, quemadmodum signa ore corporeo. — Cœna mystica est, in quâ Dominus corpus & sanguinem suum, id est, seipsum suis verè ad hoc offert, ut magis magisq; in illis vivant & illi in ipso. Non quòd pani & vino corpus & sanguis Domini vel naturaliter uniantur, vel sic localiter includantur, vel ullâ huc carnali præsentiâ statuantur: sed quòd panis & vinum ex institutione Domini signa sint, quibus ab ipso Domino per Ecclesiæ ministerium vera corporis & sanguis ejus communicatio, non in periturum ventris cibum, sed in æternæ vitæ alimoniã exhibeatur.* Hoc ipsum *de Eucharistiâ caput*, ait Lavaterus, *ita temperari volebant, ut ne contentionis materiam præberent, & Lutherus illud non improbaret.* Exhibitam autem Luthero à Capitone & Bucero Confessionem hanc fuisse die demum XXVII Maii: illum laudasse *studium concordiæ, ac promisisse benevolentiam suam ad omnia promtam, quò ad ei per conscientiam liceret.* Dicunt autores Admonitionis Neustadianæ in librum Concordiæ: *Eam* confessionem Basileensem *Lutherus probavit, non inveniens in eâ, quod reprehenderet.* Pag. 232. Quòd non fit verosimile. Bucerus quidem & Capito, unionis cupidiores, ut ei apud suos viam munirent, quum ad eos rediissent, retulerunt, *Luthero Confessionem illam non displicuisse*: uti memorat Lavaterus, item ministri Ecclesiæ Tigurinæ, in Orthodoxâ suâ Confesione, quam latinè & germanicè anno cIↃ IↃ XLV ediderunt.

LXIX. Post reditum sanè nihil diligentiæ intermiserunt, ut Helvetiis approbationem capitum Formulæ

Wite-

Witebergensis persvadrrent. Quibus tamen visa sunt *obscura & ambigua, & cum Basileensi confessione non usquequaque congruere*. Bucerus autem longâ declaratione ostendere conatus est congruere, & utrobique eandem doctrinam contineri. Declarationem illam suam literis consignare jussus, paruit. Exstat inter Consilia theologica Philippi, à Pezelio edita. Pag. 257. Pergit tamen ita loqui, ut pro se utrique possint interpretati: nempè ludit ambiguitate *manducandi*, quod quisque ex suo sensu potest intelligere, alius videlicet, de simplice & propriè dictâ manducatione, quæ ore fit; alius de figuratâ & metaphoricâ, quæ fit per fidem, & præsentiam rei, quæ creditur, non efficit aut requirit, nisi itidem metaphoricam; sicut quodcunque intelligitur, intellectui quodammodo præsens est, non quidem juxta esse suum reale, sed juxta esse intentionale, sive speciem intelligibilem.

LXX. Magis simpliciter & ingenuè Helvetii, qui Buceri quidem declarationem, quam scripto complexus erat, Luthero miserunt, ut, an articulos eos ipse quoque ita intelligi vellet, dispiceret: sed suam adjunxerunt, quâ disertè explicant, à se illos ita accipi, quòd *non inficientur dominum nostrum Jesum Christum, dum in Ecclesiæ cætu sacra cœna ex ipsius institutione ritè celebratur & distribuitur, fideli duntaxat mente revera apprehendi, participari atq; percipi*. Addunt, ut plenius intelligantur, de ministerio verbi, sacramentis, baptismo: & tandem, ubi de Eucharistiâ agunt, *Nihil est*, inquiunt, *vel in cœlo vel in terrâ, quod animas nostras alere vel satiare possit, nisi Dominus ipse solus. Sic ergo corpus Christi verè manducatur, sanguisq; ejus verè bibitur in Cœnâ, non tamen crasso illo atq; carnali modo, quo hucusq; Papistæ docuerunt, quasi scilicet manducetur substantialiter, — sed*

spiritua-

spiritualiter, id est, spirituali modo & fidei mente. Rectâ enim ac verâ fide apprehendimus & accipimus Dei promissiones ac cœlestia dona. Per eamdem fidem utiliter comeditur Dominus, ut ipse nunc in suis vivat, & sui in eo. Promittunt sibi, ex hujusmodi declaratione perfectam concordiam sperari posse, quam tamen ita accipi volunt, ut *maneat nihilominus post eam omnibus Ecclesiis sua libertas sarta tecta, ut de hoc sanctissimo negocio liberè illis loqui liceat, prout consultissimum visum fuerit.*

LXXI. Hanc epistolam (ad modum enim epistolæ, cui declaratio ipsa inserta fuit, hæc scripta erant) Basileæ, mense Novembri anno cIↃ IↃ XXXVI confectam, Februario anni proximi Smalcaldiæ in celebri Conventu, Luthero Bucerus, qui eò unâ cum Paulo Fagio & Bonifacio Lycostene profectus erat, exhibuit. Sed morbus Lutheri, ingentesque à calculo dolores, ne responsum illi referrent, prohibuerunt. Quod tamen sub finem ejusdem anni, Kalendis Decembris scriptum & magistratibus civitatum Tigurinæ, Cernensis, Basileensis, Scafhusianæ, Sangallensis, Mulhusinæ & Bihelensis inscriptum, tandem submisit.

LXXII. Est autem responsum illud egregium, & dignum observari. Initio moram excusat, de concordiæ studio in Helvetiis deprehenso lætatur, & successum à Deo precibus postulat. Deinde, Ist derhalben / ait, mein freundliche bitte / E. E. wolte dazu thun / und mit ernst verschaffen / daß bey Euch von den Euren / die Schreier / so wieder uns und die Concordia plaudern / sich ihres schrieiens enthalten / und daß Volck einfeltig lehren. Darüber diese sache der Concordien lassen befohlen sein denen / die dazu beruffen und tüchtig sein.— Und zuvor wil ich ja gantz demütiglich

tiglich gebeten haben / wollet euch zu mir versehen / als einem der es ja auch mit Hertzen meinet / und was zuforderung der Concordien dienet / so viel mir immer müglich / an mir nicht mangelen sol / das weiß GOtt / den ich zum Zeugen auff meine Seele nehme / deñ die Zwietracht weder mir noch jemands geholffen / sondern vielen Schaden gethan hat / daß freilich nichts nützlichs noch guts darinnen zu hoffen gewest / auch noch ist. Subjungit de declaratione articulorum, quam suæ epistolæ Helvetii inseruerant: & in primo quidem prædicationem & ministerium Verbi concernente, nihil se ait desiderare; sed nec in secundo, qui de baptismo agat. De tertio, utpote quem nos modò consideramus, ipsissima verba, subjicimus. Der dritte Artikel vom Sacrament des Leibes und Bluts Christi / habē wir auch noch nie gelehret / lehren auch noch nicht / daß Christus hernieder oder von der rechten Hand Gottes hernieder und auffahre / noch sichtbarlich noch unsichtbarlich / bleiben fest bey dem Artikel des Glaubens / Auffgefahren gen Himmel / sitzend zur rechten Gottes zu künfftig etc. Vnd lassen es göttlicher Allmächtigkeit befohlen seyn / wie sein Leib und Blut im Abendmahl uns gegeben werde / wo man aus seinem befehl zusamen kömpt / vnd sein einsetzung gehalten wird / wir dencken dar keiner auffahrt noch niederfahrt / die da solte geschehen / sondern bleiben schlechts und einfeltig bey seinen Worten / **Daß ist mein Leib / Daß ist mein Blut** / doch wie droben gesagt / wo wir hierin einander nicht gentzlich verstünden / so sey daß jetz das beste / daß wir gegen ein ander freundlich sein / und iñer das beste zu einander versehen / bis daß glum und trübe Wasser sich setze. So kan auch D. Capito und M. Bucerus hierin allen wol zurahten / wo wir nur die Hertzen zusamen setzen / und allen vnwillen fahren lassen / damit dem heil. Geist raum gegeben / weiter die Liebe und freundliche Concordia volkomen

zu machen/wie wir den unsers theils/sonderlich meiner Person halben/allen unwillen von Hertzen fahren lassen/und euch mit trew und liebe meinen/denn weñ wir schon/so es mit ernst treiben/daß höchste thun/dürffen wir dennoch grosse Gottes Hülffe und Macht/weil der Satan uns uñ der Concordia feind woll wird die seinen zu finden wissen/die Beume und Felsen in den Weg werffen werden/daß nicht noht ist/daß auch wir Hader anrichten/und verdechtig auff einander sein/sondern nur die Hertzen und Hand ein ander reichen gleich und fest halten/damit es nicht hernach erger werde den zu vor.

LXXIII. Exstat integra epistola sive responsum in Jenensi sexto tomo operum Lutheri. In quibus equidem hoc de negocio nihil præterea invenio. In scriptis tamen Calvinianorum & historiâ trium illorum nostrorum doctorum lego Helvetios Tiguro respondisse, die quarto Maji, anno cIↃ IↃ XXXIIX: & de re totâ, inprimis verò Eucharisticâ, in hunc modum verba feciſſe: *Quum videamus R.T. nihil discrepantiæ aut absurditatis inveniſſe in Articulis de externo verbo, & de Baptismo (quemadmodum nec nos ullam in eis perspicere possumus) & simul intelligamus, vos circa articulum de sacramento corporis & sanguinis Christi neq; docuisse olim, neq; nunc quidem docere, Christum è cœlo & à dextrâ Dei patris sui descendere aut rursus adscendere, nec visibili nec invisibili ullo modo: sed retinere firmiter (ut & nos facimus) Articulum fidei, Adscendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, & inde venturus est judicare &c. Neq; illic fieri cogitetis ullum vel dēscensum vel adscensum: deniq; nullam ejusmodi in Sacrâ Cœnâ constituatis corporis & sanguinis Christi præsentiam vel manducationē, ex quâ aliquid cōsequatur repugnans aut ullo modo contrarium vel susceptæ Christi humanitati, vel ejus adscensioni in cœlum, ac cœlesti ipsius gloriæ, vel deniq; ullis Christianæ*

Pag. 507

næ fidei articulis, ullisve aliis Scripturæ locis. Nec nos quoq; ex adverso in Cœnâ constituere velimus tantùm nuda & vacua signa, sed etiam ibi corpus & sanguinem Domini & recipi & manducari, (ita ut in sese duntaxat fideli mente verè apprehendantur & percipiantur) aptissimè agnoscamus, juxta tenorem & modum expositum in prædictâ nostrâ Confessione ejusq; ad vos Smalkaldiam missâ declaratione, in quâ nos firmi & immoti adhuc persistimus. Ex his, inquam, omnibus non possumus aliud perspicere aut sentire, quàm inter nos (Deo sit laus) de sensu aut verâ substantiâ hujus articuli unanimem esse consensum: pacemq; optimam sine ullâ amplius controversiâ inter nos coaluisse: Deumq; ad hanc veram concordiam nos suo auxilio adduxisse: Cui nos eam ob rem maximas laudes & gratias agimus in æternum.

LXXIV. Sed & huic epistolæ responsum à Luthero, & quidem proximo mense Junio, die Jovis post Baptistæ, repositum fuisse commemorant. *Accepi*, inquit, *scriptum vestrũ ad me quartâ die Maji datum: ex quo perlubens intellexi omniũ vestrûm animos ad concordiam esse paratissimos, & scriptum meum vobis gratum fuisse. Nempe quòd nos hîc non doceamus statuendum esse ullum in sacrosancto sacramento cœnæ Domini nostri vel ascensum vel descensum, quamvis in eâ verũ corpus & verus sanguis Domini nostri cũ pane & vino sumatur. Quod verò scriptis comprehendi non potest, id confido meliùs D. Bucerum & D. Capitonem coràm exposituros, quibus hæc omnia concredidi, & precibus multis commisi. Et quandoquidẽ mihi dubium non est, plebeculam vobis subesse probissimã, quæ serio affectu ducatur ad bene agendum, & ad rectam viam capessendam; non levem inde lætitiam, spemq; in Deum concepi, futurum (siquidem dextrè cum tenero & infirmo grege egerimus) ut, quamvis uncus aliquis aliquovorsum promineat*, Lutherus sine dubio germanicè: Ob es schon an einem oder anderen Ort einen ha-

ken hette/) *Deus tamen auxilium ad omnia impedimenta felici successu tollenda sit suppeditaturus. Amen.*

LXXV. Utinam eo in statu res perseverasset, caritas ac concordia utrimq; constitissent, dexteræ & animi conjuncti mansissent, etiamsi, ut Lutherus loquitur, wir hierein einander nicht gentzlich verstandē/oder es schon an einem oder anderen Ort einen Haken gehabt/ nec denuò ad rixas & contentiones, imò condemnationes itum fuisset. Cujus culpâ id factum, haut temere dixero. Lavaterus narrat, Christophorum Froschoverum civem & typographum Tigurinum misisse Luthero exemplum novæ translationis Bibliorum, ejus sine dubio, quam ipse eopse anno cIↃ IↃ XLIII typis suis vulgaverat, & ministri ecclesiæ Tigurinæ, Leo Juda inprimis, & nonnulli alii elaboraverant: Lutherum autem rescripsisse, *ne posthac ei aliquid mittat, quod à ministris ecclesiæ Tigurinæ profectum sit. Se enim nullum cum eis commercium habere, libros eorum nec recipere, nec legere velle. nam ecclesias Dei cum eis communicare non posse. Multos quidem labores sustinere, sed irritos & frustraneos: quandoquidem & ipsi jam damnati sint, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaque damnationis & blasphemæ doctrinæ illorum nolle consortem esse, sed quò ad vixerit, eos & precibus & libris oppugnare constituisse.* Has à Luthero *literas propriâ manu conscriptas*, & Tigurum missas fuisse itidem memorant & queruntur ipsi ecclesiæ Tigurinæ ministri Confessione suâ, quam orthodoxam vocant, post biennium editâ. Si hæc ad hunc se modum habent, videtur Lutherus concoquere non potuisse, quod sibi Tigurini auctoritatem vertendi Biblia sumerent. Neque desunt, qui iteratum hunc Lutheri impetum & vehementiam, animique & stili mutationem instinctibus Nicolai Ambsdorfii, qui apud Lutherum multa potue-

Hist. Sacram. pag. 32.

Tractatu primo. pag. 37.

potuerit, imputent. Bucerus Tigurinis succenset, quòd formulam consensionis simpliciter, (manente scilicet ambiguitate, & sine declaratione) admittere noluerint.

LXXVI. Quidquid sit, constat Lutherum in Minore suâ de Sanctâ eucharistiâ confessione, quam anno pòst sequuto cIↃ IↃ XLIV edidit, scripsisse, quæ nunc subjicio: Weil so viel und grosse wartung und vermahnung Gottes an ihnen schlechts verlohren sind/den mein Schrifft für sieben-zehen Jahren ausgangen (ὅτι τὰ ῥητὰ, sive Quod verba firma consistant) kan ich mit gutem Gewissen und starckem Glauben Göttliche vermahnung rühmen/neben den andern zwo vermahnungen (libro contra cœlestes prophetas, & Majore confessione) so bin ich auch nicht zu geringe dazu/daß sie von mir sich solten vermahnen lassen/wen sie hoch rühmen/den ich auch ein diener Christi bin so woll/wo nicht mehr/als sie/und auch in seiner Kirchen gearbeitet habe/ehe den sie/will nicht zu hoch rühmen: muß ich sie fahren lassen und meiden/als die αὐτοκαταχρίτους, die wissentlich und muhtwilliglich verdampt sein wollen/und ihrer keinem einigerley gemeinschafft haben/weder mit Brieffen/Schrifften/Worten noch Wercken/wie der HErr gebeut/Matth.18. Er heisse Stenckefeld/Zwingel oder wie er wolle/den ich rechene sie alle in einen Kuchen/wie sie auch sind/die nicht gleuben wollen/daß des HErrn Brot im Abend ≡ahl sey sein rechter natürlicher Leib/welchen der Gottlose oder Judas eben so woll mündlich empfehet/als Sanct Petrus und alle Heiligen. Wer das (sage ich) nicht will gleuben/der laß mich nur zu frieden mit Brieffen/Schrifften oder Worten/und hoffe bey mir keiner gemeinschafft/da wird nichts anders aus. Et nonnullis interjectis: Es wird die Schwermer nichts helffen/daß sie bey dem Sacrament sehr groß gewesch treiben von dem geistlichen essen und trincken des

Tomo 8. Jen. pag. 175. b.

Leibes und Bluts Christi / und von der Liebe und Einigkeit der Christen. Denn daß sind eitel Feigenbletter / da sich Adam und Eva mit decken und schmücken wolten / daß GOtt ihre Schande und Sünde nicht mercken solte. Viel weiniger wird sie helffen ihre grosse arbeit mit lehren schreiben / mit ernsten züchtigen wandel / daß ist noch alles Heidnichs ding. Dazu auch diß verlohren ist / daß sie Gott den Vater / Sohn und heiligen Geist und Christum den Heiland gleuben / Alles sage ich / ist es verlohren / mit allen Artickeln / wie recht und unstrefflich sie dieselben mit dem falschen Lestermaul nennen oder geben / darumb daß sie diesen einigen Artikel leugnen und lügenstraffen / da im Sacrament Christus spricht: Nehmet (daß Brot) und esset / daß ist mein Leib / der für euch gegeben wird etc.

LXXVII. Philippus, qui concordiam abrumpi doleret, interea dum liber è prelo exit, ad Henricum Bullingerum scribens, *Fortassis.* ait, *priusquam hæ meæ literæ ad te perferentur, accipies atrocissimum Lutheri scriptum, in qua bellum* πρὸ δείπνου *instaurat. Numquam majore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare ecclesiarum pacem. Tollent cristas inimici nostri, qui defendunt idola monachorum: ac rursus ecclesiæ nostræ magis distrahentur. Quâ ex re ingentem capio dolorem.* Si epistolis, quæ editæ sunt, credendum, tam Philippum quàm Casparem Crucigerum ita hæc res affecit & malè habuit, ut è Wittebergâ discessum meditati fuerint. Lutherus autem, quum ad eum anno proximo, & ante obitum ultimo, perlati essent XXXII articuli Lovanienſium, pro veteribus erroribus & superstitionibus satagentium, vehementer commotus illis LXXVI alios opposuit; quorum vigesimo octavo in Zvinglianos etiam invectus de iis in hæc verbâ pronunciat: *Hæreticos seriò censemus, & alienos ab ecclesiâ Dei esse Zvinglianos & omnes sacramentarios, qui*

qui negant corpus & sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistiâ. Exstant hi articuli latinè sub finem tomi primi latini Jenensis, & germanice in tomo germanico octavo. Pap. 532. Pag. 389.

LXXIIX. Nolumus autem diffiteri, nobis præ hisce illa placere, quæ anno clɔ Iɔ XXXVII ad Helveticos Lutherus scripsit, & aliquam partem superiùs commemorata & producta fuerunt. Si enim tum temporis ad eum, qui inde liquet, modum tractari potuerunt, si contentio & discordia sopiri, dextræ & corda jungi; cur idem porrò non possit, quum in sequiores, quam tum amplecterentur, opiniones postea prolapsi non sint? imò nonnullas etiam emendaverint, & in aliquibus ad veritatem aut planè aut propiùs accesserint. Sed hîc non nisi errorem, quem de Eucharistiâ adhuc fovent, consideramus. Si is talis ac tantus non est, ut propter eum Deus illos ὑιοθεσίᾳ & regno cœlorum excludat, sed eo non obstante (modò absit malitia, & contra conscientiam nihil adserant aut defendant, ut hîc supponimus) habet ut filios, ut heredes, ut coheredes & membra Christi; nos etiam non alio loco, quàm fratrum & coheredum & membrorum ejusdem nobiscum sub capite Christo corporis, illos habere & tractare oportebit. Si aliter egerimus, peccabimus in caritatem, quam nobis tantopere Servator noster commendavit, & Christiani Christianis, qui revera Christiani sint, nec per flagitia vel abnegata fidei fundamenta esse desierint, debemus. Quod ab initio hujus dissertationis pluribus exposuimus, & decisioni quæstionis, tamquam fundamentum substravimus.

LXXIX. Jam considerari velimus cognitionem, quæ propter aliquam praxin sit, aut ad dirigendam praxin facia, non

non magis posse necessariam esse, quàm sit ipsa praxis: atque adeo si aliquando contingat absque jacturâ æternæ salutis praxin aut penitus intermitti, aut perperam institui, tum contingere itidem posse, ut si in cognitione ad praxin eam faciente, vel praxin dirigente erretur, error iste sit innoxius. Nempe si cognitio propter praxin est, tum rectitudo cognitionis ut est in mente, non potest esse simpliciter & sine ullâ exceptione necessaria, si praxis, propter quam est, aut rectitudo ejus, non fuerit quô ad ipsum actum & exercitium pari modo necessaria. Fatentur autem omnes; nec, quod sciam, est qui eat inficias, sæpe & variis casibus fieri posse, ut homo fidelis usu sanctæ eucharistiæ penitus privetur, neque tamen propterea salute excidat. nempe reddi potest ipsa praxis vel administratio hujus sacramenti moraliter, ut loquuntur, impossibilis. Sic etiam fieri potest, ut cognitione, quæ praxin istam, ut rite fiat, dirigit, perfectâ & exactâ potiri, vel admixtum & à majoribus ac magistris haustum errorem penitus deponere non detur: animo videlicet præjudiciis adstricto, & veritatis quidem cupido, sed imbecilliore: quàm ut omnia obstacula, quæ sæpe multa & magna sunt, removere valeat. Sicut igitur, si fuerit desiderium fruendi eucharistiâ, non obest saluti, quòd per impedimenta actu frui non liceat: ita etiam in quo fuerit desiderium & studium cognoscendæ veritatis de hoc ipso Eucharistiæ sacramento, non faciet salutis suæ jacturam, etiamsi ex difficultatibus & objectionibus sese expedire, & veritatem, quam diximus, pervidere & adsequi perfectè nequiverit. Non enim potest esse major necessitas cognoscendæ veritatis ad praxin facientis, quàm sit ipsius praxeos. Quare quàm necessarium ad salutem est novisse & credere, quod unigenitus Dei filius propter nos homines

homo

homo sit factus, passus, mortuus, resurrexerit; tam necessarium non est noviſſe & credere, quòd in sanctâ Eucharistia substantia corporis Christi ore manducetur. Excludimus autem malitiam & pertinacem adsertionem vel professionem ejus, de cujus falsitate homini constet, & conscientia sit convicta. Id enim non imbecillitati intellectus, sed improbitati & perversitati voluntatis imputandum fuerit: neque dubitari potest, quin si sint, qui repugnante conscientiâ errorem doceant vel tueantur, illi sibi iram Dei & damnationem attrahant. Tales si qui sint, & nobis tales esse constet, poterimus de iis cum Luthero dicere, Es soll und kan niemand von den Christen für die Schwermer beten/noch sich ihr annehmen. Sie sind dahin gegeben/und sündigen zum tode. Sed nos, quibus arcana cordium perveſtigare & intueri datum non est, tantum crimen nemini temerè impingere decet, præsertim quum inter illos olim fuerint & hodie sint viri nec manſvetudinis, nec virtutis, nec eruditionis egeni. Confeſſ. min. to. 8. Jen. pag. 176.

XXC. Fateri autem debemus, difficultates non esse nullas, è quibus eluctari eos oportet. Qui enim hodie adversæ sunt sententiæ, eam à majoribus & magistris suis acceperunt, & à teneris unguiculis edocti sunt. Quod eum in modum animo impressum est, non ita facilè excutitur: ut taceam, mysterium hoc involvere ea, quæ à communi rerum ratione abhorreant, qualia sunt corpus unum simul plurimis locis præsens esse, & nulli tamen commensurari, & ubique sensus effugere. Quamquam in mysterio Trinitatis & Incarnationis pleraque, non modò pari, sed majori quoque difficultati obnoxia, occurrunt. Accedit, non deesse è veteribus, de hoc mysterio, quippe quod religiosè venerarentur potiùs, quàm curiosè scrutarentur, non

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [193] - 65
PUBLIC DOMAIN

ſemper apertè aut uniformiter loquutis, qui pro alterâ ſententiâ facere videantur, inprimis Auguſtinum, inter præcipuos meritò numerandum. Qui autem primi ſuperiore ſeculo veram præſentiam negare cœperunt, exiſtimarunt aliâ nullâ ratione ſacramentum hoc à Pontificiis erroribus & ſuperſtitionibus, quales ſunt adoratio, circumgeſtatio, oblatio & ſacrificium propitiatorium, per purgari poſſe. Hanc unam, poſitam videlicet in negatione veræ præſentiæ veri corporis, expeditam eſſe: quam propterea, & quòd nihil à communi naturæ uſu alienum involvere, & à dictis nonnullis maximi Auguſtini propemodum apertè probari viderent, hinc commoditatibus invitati, illinc difficultatibus ſuperati, ex imbecillitate, qualem in humana ingenia cadere neque novum eſt, neque mirum, amplexi ſunt.

XXCI. Adde rem tantâ acerbitate & tot accumulatis convitiis plerumque actam fuiſſe, ut mentem diſſentientium turbare, & ab effato alioquin vero, ſed quod ad iſtum modum proponeretur, alienam reddere potuerint. Quamvis enim veritas propter adjunctas criminationes diſplicere non debebat, quæ tamen eſt ingenii humani indoles, abhorrere incipit à ſententiâ, quam ſibi cum convicio obtrudi animadvertit.

XXCII. Neque bona cauſſa bonis & validis rationibus defenſa ſemper fuit, ſed aliquando talibus, quæ ſententiam, cui adſerendæ adhibebantur, ſuſpectam reddiderint. Lutherus ipſe in ſcriptis ſuis primis (De firmitate verborum, & Confeſſione majore) ubiquitatem ſive omnipræſentiam corporis Chriſti, hactenus in eccleſiâ, niſi quòd Jacobus Faber Stapulenſis nonnihil de eâ commentus fuerat, incognitam, advocavit: quamquam, ut pridem monui-

monuimus, hoc sive fundamentum sive subsidium missum postea fecit. Nihilominus deinceps non defuerunt, qui præsentiam in Eucharistiâ omnipræsentiæ, tamquam fundamento, inædificarent, & absque hac illam consistere vel defendi posse negarent. Quomodo qui disputant, præsentiam, de quâ modò loquimur, labefactant magis, quàm stabiliunt.

XXCIII. Quin thesis ipsa, de quâ controvertitur, non semper commodè proposita fuit. Dicit Servator, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum.* Quod igitur accipimus & comedimus, est corpus Domini: verum, inquam, corpus, ut verba sonant, non nudum signum vel symbolum corporis, aut fructus vel effectus corporis. Huic thesi in disputatione contra dissentientes inhærere oportebat: quandoquidem etiam Sanctus Paulus, ubi mutat subjectum, vocem videlicet HOC, ibi quoque mutat prædicatum; neque dicit, *Panis est corpus Christi*, sed *Panis est communicatio corporis Christi.* Bene Philippus Melanchthon epistolâ ad Bremenses, quam inter cæteras Exegesi suæ subjunxit Joachimus Cureus: Wir haben nit vernommen/ daß die gelehrte in den Sächsischen Landen diese Worte gebrauchet hetten/ *Panem & vinum esse essentiale corpus & sanguinem*, Sondern diese form/ *Cum pane sumitur corpus &c.* Ist gewönlich und gemäß dieser form/ *Panis est communicatio corporis.* Hæc ille. Qui itidem alicubi de Osiandro conqueritur, eò usque progressum fuisse, ut defenderet hanc propositionem, *Iste panis est Deus.*

1. Cor. 10, 16

Pag. 531.

Consiliorum parte 2. pag. 250. & 258.

XXCIV. Utuntur quidem nonnulli tùm veteres tùm recentiores hac loquutione, *Panis est corpus Christi*: exponi autem oportet per metonymiam, & quidem duriusculam, ut corpus accipiatur pro symbolo corporis,

ipsum non modò significante, sed etiam exhibente. Quo modo exposita poterit admitti, ut phrasis ecclesiastica. Satius autem fuerit, in disputationibus, præsertim contra dissentientes, ne offendantur illi aut turbentur, simpliciter loqui, & loquutionibus uti, quibus utitur Scriptura, nempe, *Hoc*, quod accipimus & manducamus, quum benedictus panis sumitur & comeditur, *est corpus Christi*: item *Panis est communicatio corporis Christi.* Sic enim non habebunt illi, quod cavillentur, aut quare à transsubstantiatione, vel locali inclusione, vel durabili extra sumtionem & usum conjunctione sibi metuant; à quibus, utpote manifestis erroribus, & longam Pontificiarum superstitionum & corruptelarum caudam trahentibus, meritò abhorrent. Hinc igitur Oecolampadius in quadam epistola: *Intolerabilem sermonẽ dico, panẽ substantivè esse corpus Christi.*

lib. 3. epist. pag. 590.

XXCV. Cæterùm, ut ad priora redeamus, qui ex hisce difficultatibus eluctari, & veritatem præsentiæ corporis & sanguinis Domini in Eucharistiâ videre & adsequi nondum possunt, gratiâ Dei & salute non magis excident, quàm qui ne usu ipsius Eucharistiæ potiantur, per impedimenta, quæ amoliri nequeunt, prohibentur. Quàm prope ad sententiam Zvinglianam accesserint Suevi in suo Syngrammate, & Brentius in Exegesi ad Johannem, pridem exposuimus: quos tamen propterea nemo gehennæ adjudicat. Dices, sententiam illi mutarunt. Sed illos ne tum quidem, quum ita sentirent, & priusquam aliter loqui inciperent, circa annum videlicet cIↃ IↃ XXVII, extra Dei gratiam & in statu damnationis fuisse, facilè quisquam affirmaverit. Ne simus duriores in alios, quàm sumus in nosmetipsos aut nostros. Waldenses sive Picardos Bohemiæ & Moraviæ præsentiam veri corporis in Eucha-

Eucharistiâ negasse notum est. De iis tamen benignè sentit & loquitur Lutherus præfatione, quam à se editæ Confessioni eorum præmisit, anno cIↃ IↃ XXXIII. Inter cætera: Wiewol ich obgenanter Brüder weise zu reden nicht weiß anzunemen / so wil ich sie doch auch wiederumb nicht übereylen / noch so eben zwingen nach meiner weise zu reden / so fern wir sonst der Sachen eins werden und bleiben / biß daß GOtt weiter schicke nach seinem willen. Item, Weil wir keines das ander gedencken zu verfolgen / noch zu verderben / sondern zu fördern und zu helffen / so sey in des S. Paulus unser Scheideman und Mitteler / da er spricht Röm. 14. Nemet euch untereinander auff / wie euch Christus auffgenommen hat / zu Gottes lob. Und abermahl Röm. 15: Den Schwachen im Glauben nehmet auff ꝛc. biß das es alles klar und volkommen werde. Tomo 6. Jen. pag. 113.

XXCVI. Porrò non est levius erratum, præter imò contra institutionem & mandatum Christi unius speciei usum admittere, quàm veri corporis præsentiam negare. At in Visitatione Saxonicâ, anno cIↃ IↃ XXIIX editâ, disertè Lutherus: Wo Schwachen sind / die — aus Blödigkeit und Furcht ihres Gewissens nicht kündten beyder Gestalt empfahen / die mag man lassen einerley Gestalt noch ein Zeitlang genieſſen / und wo sie es also begehren / mags ein Pfarher oder Prediger wol denselbigen reichen. Philippus in Locis communibus anno cIↃ IↃ XXIII editis, titulo de abrogatione legis: *Errat, qui putat impium edere suillam carnem: errat item, qui putat impium abstinere à suillâ. Media sunt hæc, & in arbitrio nostro posita. Sic & de Eucharistiâ judico, non peccare qui scientes hujus libertatis, & credentes, alterutrâ signi parte utantur.* Quod nobis & nostris indulgemus, etiam aliis indulgeamus, nempe ut societate Christiano Tom. 4. Jen. pag. 342.

ſtianorum excluſos ad dæmones & infernum non ſtatim amandemus, quos circa hoc ſacramentum errare deprehendimus.

XXCVII. Eſt aliquid, ſi non totum, quod diſertè non negant adeſſe, nec affirmant abeſſe corpus & ſanguinem Domini. Si tamen non tam quid loquantur, quàm quid ſentiant, attendimus, certum eſt eos veri corporis & ſanguinis, ſecundum ſubſtantiam acceptorum, præſentiam non admittere. Rectius autem fuerit, utramque partem ſimpliciter & ingenuè, quod ſentit, profiteri, quàm alteram alteri ambiguis loquendi formulis imponere. Qualem conciliandi rationem inierunt olim Philippus & Bucerus, nempe ut præſcriberentur formulæ, quarũ verba utraq; pars amplecteretur, ſed ſingulæ ſuo ſenſu acciperent & interpretarentur. Quem conatum, quamvis ex pio, eoque ingente concordiæ deſiderio & ſtudio profectum, nulla ſucceſſus felicitas excepit. Malumus, uti diximus, utramque partem ſenſa animi ſincerè & citra fucum exponere: & etiamſi diſcrepent, nihilominus odia, & inimicitias, & conviciandi ac damnandi libidinem ponere, & mutuam Chriſtianam caritatem, ut Chriſtianos decet, fovere & exercere, donec re inter eruditos eruditè & placidè diſcuſſâ & ventilatâ, Deus pleniorem & perfectiorem conſenſum largiatur. Si enim, non obſtantibus controverſiis noſtris, & erroribus, quos altera pars alteri impingit, alii alios, ut Chriſtiani Chriſtianos, habeamus & tractemus, nec aliter quàm per humanam mentis difficultatibus ſuperatæ imbecillitatem errare ſtatuamus, atque ita depoſitis odiis, quæ animos è ſtatu ſuo dimovere, & veri cognitionem vehementer impedire ſolent, placidè inter nos conferamus & in veritatem inquiramus; ſpes eſt non modica,

dica, eam utrinque, adminiculante divinâ gratiâ, quæ mansuetis opem ferre amat, tandem inventum iri, & dissensiones tolli an componi, aut saltem minui posse. Si verò in mutuis odiis, & detestationibus, & exsecrationibus pergimus, oculi mentis obnubilabuntur, & neque veritatem neque concordiam cernere poterunt.

XXCIIX. Nolo tamen inficias ire, donec perfectior consensus constituatur, ad ministerium ecclesiasticum admitti apud nos non posse, qui in adserendâ & defendendâ sententiâ Zvinglianæ partis perseveraverint: neque multum spei apparere de Puritanis aut Browniſtis; ut in Angliâ vocantur, hominum genere turbulento & seditioso, ad moderationem & mutuam tolerantiam flectendis. Animi eorum elatiores sunt, quàm ut aliis, præterquam sibi solis, quidquam tribuant; novitatis cupidiores, quàm ut antiquitatem, & efferatiores, quàm ut tranquillitatem respiciant. Quod ut de his hodie, ita olim de Flacianis verè pronunciari potuit.

XXCIX. Concludimus verbis, quibus aliquando hac ipsâ de re usus fuit eximius vir David Chytræus: *Absit, ut ipsas ecclesias, principes aut populos alicubi dissentientes propterea condemnem, aut condemnandos seu flammis & supplicijs objiciendos esse censeam. Video enim Paulum ipsum, etsi Galatarum & Corinthiorum errores quosdam graviter refellit & damnat: tamen ecclesias Galatiæ & Corinthiorum propterea non condemnare, vel ethnicis persequutoribus trucidandas objicere, sed nihilominus amantissimè complecti & fovere. Me certe, vero pectore probare, & in aliis etiam requirere moderationem illam & συμπάθειαν erga gentium exterarum ecclesias, quam in proœmio assertionis suæ & Cœna Domini præceptor meus Paulus Eberus declarat, Deum qui mentes & corda scrutatur, testem appello.*

Præfatione in librum de mort & vitâ æternâ.

pello. Itaq; doleo tantâ acerbitate & virulentiâ multorum odia adversus docentes nostræ confessioni adjunctos, futilibus & vanis bisce calumniis accendi, quòd omnes exteras ecclesias, Reges, principes & populos de Eucharistiâ dissentientes condemnent, & diabolo tradant, aut minùs Turcis & Scythis ferendos statuant. Quæ crudelia judicia, ut in nullius pii & sani hominis mentem venire arbitror, ita toto pectore semper damnavi & abominatus sum. Hæc David Chytræus. Quin Electores, Principes & Ordines, quorum præfatio Formulam concordiæ, per quam tamen à concordiâ multi facti sunt alieniores, antecedit, protestantur, *nequaquam suum consilium & institutum esse, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minùs totas Ecclesias, quæ vel sub Romano imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt,* in Belgio videlicet, Britanniâ, Galliâ *damnare.— Nequaquam enim,* inquiunt, *dubitamus, multos pios & minimè malos homines in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, sed blasphemias, quæ contra Sacram cœnam evomuntur* (quæ tolerari profectò nec possunt nec debent, & concordiæ, si quidquam aliud, impedimentum maximum objecerint) *nullo modo probant.* Neque dubium est, quin Belgas & Gallos, utut sequiorem de sanctâ Eucharistiâ sententiam sequutos, intelligant, quando paucis interjectis adseverant, *sibi propositum numquam fuisse, hac suâ Formulâ molestiam aut periculum creare piis, qui persequutionem hodie patiuntur. Quemadmodum enim,* ajunt, *Christianâ caritate moti in societatem doloris cum eis dudum venimus: ita à persequutione & tyrannide, quæ in miseros illos maximè exercetur, abhorremus.*

Utinam tali animo & mutuo affectu alii in alios esse numquam desinamus.

GEOR-

GEORGII CALIXTI D.

DESIDERIUM ET STUDIUM CONCORDIÆ ECCLESIASTICÆ.

SUnt etiamnum in orbe homines, qui Scripturam θεόπνευστον, cui quod religionem attinet, Christiani innituntur, nullam aut norunt, aut admittunt. Horum alii etiamsi agnoscant unum summum Deum, ei tamen plures minores & inferiores subjungunt, divinoque cultu prosequuntur: alii solem, lunam, stellas venerantur: alii alios deos sibi fingunt: aliqui vix ullo numinis sensu tanguntur. Ethnici, gentiles, pagani, idololatræ appellantur: nonnulli quoque feri & barbari, utpote ἀνθρωποφάγοι. Tales etiamsi sint, homines tamen sunt. *Omnis peccator*, ait Augustinus & ex eo Prosper, *in quantum peccator, non est diligendus; omnis autem homo, in quantum homo, diligendus est propter Deum.* Consortium itaque communis humanitatis, commiseratio erga tot pereuntes animas, & desiderium propagandæ gloriæ divinæ, incitare debet Christianos, quibus illi vicini, aut aliàs ad eam rem copia vel opportunitas suppetit, ut miseris ab exitio eripiendis operam impendant.

1. de doctr. Christ. c 27. Sent. 267.

II. Judæi & Muhammedani ab idololatriâ, QUALI GENTES OBNOXIAS JAM DIXIMUS (si vel isto loquendi modo ad mentem Auctoris capiendam hostes adduci possint: quanquam dubitari vix potest, quin satis capiant; capere autem nolint, ne cavillandi & calumniandi desit occasio) alieni sunt. Illi codices Veteris testamenti; isti etiam Novi libros admittunt & probant. Illorum plurimi inter Christianos degunt & tolerantur; isti magnam partem nonnullis vicini sunt & aliquando amici. Urgentior itaque ratio, & promtior procedendi modus impellere debent, ne officio suo desint, qui vel Judæis familiaribus aut subditis, vel Muhammedanis vicinis & amicis utuntur.

III. Christianorum titulo etiam illi se venditant, qui tamen eo nomine vix digni, quòd etiamsi Christum quemdam in mundum venisse agnoscant; (unde fortè Christiani nominis participes factos dixeris) præcipua tamen Christianæ fidei capita sive mysteria denegant, nempe Deum esse Patrem, Filium & Spiritum sanctum, sibi invicem ἐμουσίους, & ex his Filium hominem factum pro peccatis nostris satisfeciisse; atque adeo ejus passione, morte & merito, justificationem nostram & spem æternæ salutis niti. Hæc quia negant, Christanam fidem & religionem planè evertunt. Neophotiniani & Sociniani hodie appellantur. Ad eos prope accedunt Anabaptistæ, in tot sectas divisi, ut distinctè enumerare difficile sit. Quin tamen, ubi fieri ullo modo poterit, & his & illis ad meliorem mentem traducendis opera sit danda, nemo temere negaverit.

IV. Qui credunt ea, quæ Socinianos negare diximus, & proinde se non propriis meritis, sed virtute & merito passionis Jesu Christi peccatorum remissionem consequuturos, & post resurrectionem carnis suæ, ad gloriam perventuros confidunt, ponuntque inter se & iram divinam meritum & mortem Christi; præterea baptizati sunt, & Eu-

& Euchariſtiâ, prout datur, fruuntur; opera autem carnis non perpetrant, ſed temperanter, juſtè & piè vivunt in præſente ſeculo, exſpectantes beatam ſpem & illuſtrem adventum gloriæ magni Dei & ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti: eos à Deo filios haberi, & ad hereditatem regni cœleſtis admitti, certum eſt. Tales autem inter ſe longè magis conveniunt, & intimiùs conjunguntur, quàm prædem memorati; nempe ſicut membra ſub capite Chriſto. Odiſſe itaque non oportet. Nam *qui dicit ſe in luce eſſe & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt usq; adhuc*; imò *homicida eſt*. 1. Joh. 2. 9. 3. 15. Neque ſatis eſt vacare odio, ſed diligere oportet. Nam *qui non diligit fratrem, non eſt ex Deo, & manet in morte*, I Johan. III, 10 & 14. *Chriſtus eſt caput eccleſiæ, & ipſe eſt σωτὴρ* ſive *ſalvator corporis* ſui, id eſt, eccleſiæ ſuæ, Eph. V, 24. Qui extra corpus illud eſt, ſive ejus corporis ſub capite Chriſto membrum non eſt, non poteſt ſalvari. Qui verò ejusdem corporis ſub capite Chriſto membra ſunt, inter ſe ſunt fratres & ſorores. Quod igitur attinet Pontificios & Reformatos, aut negari oportet quemquam eorum eſſe membrum Chriſti, & affirmari, omnes, quotquot ſunt aut fuerunt, etiamſi contra conſcientiam ſuam nihil adſeruerint aut egerint, laborantes ignorantiâ quam ſuperare nequeant, nihilominus extra ſpem ſalutis poſitos & æternæ morti addictos eſſe; aut, ſi nobiſcum iſtarum partium aliqui (fortè etiam multi) æternæ vitæ participes eſſe poſſunt vel erunt, eos tamquam ejusdem Patris, (cui videlicet utrimque dicimus, *Pater noſter, qui es in cœlis*) filios, tamquam concorpores & coheredes, tamquam fratres & ſorores haberi & diligi oportet. Bene Catechismus Tridentinus in Explicatione Orationis Dominicæ: *Quum Patrem invocamus ſinguli, & NOSTRUM appllamus, docemur*

mur ex dono & jure divinæ adoptionis consequi necessariò, ut fratres sint fideles omnes, & inter se fraternè amare debeant.

V. Pium igitur est desiderium eorum, qui expetunt dissidia & odia, quæ invaluerunt, proh dolor! inter illos, qui tales sunt, qui ita, uti dictum fuit, credunt seque gerunt, aut certè gerere debebant, mitigari, & si fieri queant, planè tolli. Pendet hinc non modò concordia & tranquillitas ecclesiastica, verùm etiam civilis, interdum quoque domestica, sicut se hodie res habent in imperio Romano Germanico, ut de aliis regnis & provinciis taceam. *Cognitum perspectumq; habemus*, ait D. Leonhardus Hutterus, *pace Ecclesiæ pacem nostram contineri; & à tranquillitate Ecclesiæ ipsius etiam Reip. incolumitatem pendere.* Si Princeps persvasus sit subditos suos esse infideles aut hæreticos; subditi simpliciter persvasi sint de Principe suo; uxor de marito, & maritus de uxore: quî fieri poterit, ut non emergant hinc inde sinistræ suspiciones, diffidentia, & aversiones ac adversitates animorum? Quæ valido argumento elidentur, si non obstante sententiarum aliquarum diversitate, alter alterum habeat Christianum, Dei filium, & proinde fratrem ac coheredem æternæ vitæ. Hæreticus strictè proprieque dictus non est fidelis, sed æquipollet infideli. Neque enim magis Deo est amicus, neque majore in gratiâ, neque magis servatur, quàm infideles. Æquè perit, æquè consortio beatorum excluditur, ac perit & excluditur infidelis. *Quod si autem infidelis discedit*, ait sanctus Paulus, aut se separat, *discedat* & separatus esto. Ergo itidem si hæreticus vel hæretica, qui infidelibus nihilo sunt meliores, discedunt aut se separant, discedant & separati sunto. Ex hypothesi igitur mutuæ condemnationis conjugia inter hodiernos diversæ hactenus professionis Chrt-

Præf. in Iren. ad lect.

2. Cor. 7 15.

Christianos inita, dissolutionis periculo objiciuntur. Etiamsi verò actualis & externa per sacramentum communio, inprimis propter exortas circa idipsum infelices controversias, prohibeatur; perseveret nihilominus virtualis & interna, consistens in mutuâ benevolentiâ, & caritate, qualem Christiano debet Christianus, & in desiderio studioque removendorum impedimentorum, quæ actuali & externæ perfectæ communione obsistunt. Quo animo si simus, teterrimum schismatis crimen à nobis amolimur. David Chytræus, ubi agit de pace anno cIↃ IↃ XXXII initâ, ait conveniisse, ut *unusquisq; alterum verâ amicitiâ & Christianâ caritate complecteretur.* Chr. Sexon. lib 13.

IV. Interea observandum, non esse viri boni nedum Christiani, aliud sentire, & aliud refragante conscientiâ profiteri. Qui novit Cajum Sejo tres obolos debere, non potest sine reatu mortalis peccati contrarium affirmare, vel testimonium perhibere, quòd non debeat. Sic etiam, & multò magis, qui apud animum suum persvasus est, nullam esse Pontificis ἀναμαρτησίαν, nullum ex jure divino primatum, nullum purgatorium, nullam transsubstantiationem, non potest salvâ conscientiâ præ se ferre & profiteri, quòd esse credat. Qui parsvasus est mandato divino se teneri ad sumendam utramque Eucharistiæ speciem, non potest illæsâ conscientiâ contentus esse unâ. Qui persuasus est præsentiam corporis & sanguinis Dominici in sanctâ Eucharistiâ verbis Dominicis affirmari, non potest eam sine ingenti reatu inficiari. Qui persuasus est, inquam, sententiam aliquam esse veram, non potest absque mortali crimine eam improbare vel damnare, & ne quidem simulare, quòd improbet vel damnet. Est autem ingens discrimen inter ista: Ego

hanc ſententiam non exiſtimo eſſe veram: Ego hanc ſententiam verè hæreticam judico, & omnes ei addictos à divinâ gratiâ & cœleſti regno excluſos. Prius de multis commodè & absque periculo invehendi vel ſtabiliendi ſchiſmatis dici poteſt; at non poſterius.

VII. Nec hîc conveniens eſt terminus *Neutralitatis*, è militiâ huc translatus. Neutrales enim qui dicuntur, neutrius diſſidentis partis cauſſam probant vel improbant, nec uni magis adhærent, quàm alteri. At hîc, etiamſi ſit deſiderium tollendorum diſſidiorum, unusquisque tamen, qui quidem capax ſit, iſti parti, cujus ſententiam veram eſſe perſvaſus eſt, actuali communione jungitur, & hoc ipſo ab oppoſito dogmate ſe alienum eſſe profitetur.

IIX. Porrò obſervandum, conſtituta eſſe divinitus, à quibus cognitis & creditis pendere debeat æterna hominum ſalus: nec hæc per arbitrium & conſtitutiones humanas augeri vel incrementum capere poſſe. Quæ igitur ad ſalutem Chriſtianis primorum ſeculorum & martyribus Chriſti ſuffecerunt, hæc etiam nobis hodie ſufficiunt. Dices fortè, Ergo non fuerit ad ſalutem neceſſarium credere quòd Filius ſit æterno Patri ὁμοούσιον. Reſpondeo, Rem ipſam credere, nempe Filium eſſe verum & eumdem cum Patre ſuo Deum, ad ſaltem, & ut Filio redemtori noſtro debitus cultus præſtetur, eſt neceſſarium. Per iſtud autem vocabulum rem efferre vel exponere, non quidem ad ſalutem eſt neceſſarium, eſt tamen ſuo quodam alio modo neceſſarium, nempè ad excludendas Arianorum ludificationes. Doctores ſanè & antiſtites eccleſiarum non aliâ ratione vel fide ſalutem conſequuntur, quàm ſimplices Chriſtiani. Multa tamen illis præ his ſcitu & cognitu ſunt neceſſaria, non quidem di-

rectè

rectè ad salutem, sed ad salutarem doctrinam rite explicandam, confirmandam & defendendam, ut quisque suo loco & officio satisfaciat: & proinde non præcisè ut Christianis, sed ut doctoribus & præsidibus ecclesiarum. Ad quæ munia obeunda idonei non fuerint, qui formulas loquendi, quibus articuli Christianæ fidei à tot seculis universaliter proponuntur, capere aut nequeant aut nolint. Minimè verò permittendum, ut per eos ecclesiastica tranquillitas turbetur. Scripsit autem suo tempore Athanasius, *quod non deceat adversus eos, qui omnia alia Nicænæ fidei recipiant, de solo autem* ὁμοουσίῳ *ambigant, tamquam adversus inimicos affici.* πρὸς τὰς ἀποδεχομένας τὰ μὲν ἄλλα πάντα τῶν ἐν Νικαίᾳ γεγραφότων, περὶ δὲ μόνου τοῦ ὁμοουσίου ἀμφιβάλλοντας, μὴ ὡς ἐχθροὺς μάχεσθαι. *Neque enim nos*, inquit, *tamquam adversus Ariomanitas, neq; tamquam adversus patres*, eos videlicet, qui vocabulo usi non fuerunt, *pugnaturi controversamur, sed disceptamus tamquam fratres cum fratribus, eamdem quidem, quam nos, sententiam tenentibus, circa solum verò vocabulum discrepantibus.* De synodis Arim. & Seleuciæ.

IX. Sed quoniam desiderium concordiæ Christianæ planè inefficax fuerit, nisi media ad eam promovendam & procurandam facientia adhibeantur, vitio verti non potest illis, qui diu hujusmodi cogitationibus incubuerunt, si quid sibi videatur, sine præjudicio exponant. Nos quædam breviter nunc subjungemus, aliàs ea luculentiùs explanaturi.

X. Quæ præcisè ad salutem sunt necessaria, distinguantur ab aliis, quæ pari modo necessaria non sunt: & si de illis fuerit consensus, quod ista attinet, etiamsi actualis communio plenè exerceri nondum possit, cessent tamen mutuæ condemnationes, & obtineat tolerantia.

XI. Ces-

XI. Ceſſent etiam convitia, λοιδορίαι, irriſiones & contumeliæ: non fiat quod Donatiſtis exprobrat Optatus Milevitanus: *Nullus veſtrûm eſt, qui non convitia noſtra ſuis tractatibus miſceat; qui non aliud initiet, aliud explicet. Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus veſtros ad noſtras injurias explicatis. Profertis Evangelium, & facitis abſenti fratri convitium. Auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo ſuadetis.* Inimicitiæ & odia animis infuſa & perſvaſa judicium turbant & obnubilant, ut argumentis quamvis efficacibus, minùs moveantur, & inolitis opinionibus tenaciùs adhæreant. Quæ verò conſtat ab amico & benevolo affectu eſſe profecta, alacriùs excipi & fortiùs movere ſolent. Libro IV.

XII. Quæſtiones, quarum deciſio ad pietatem aut praxin Chriſtianam, ſive ſpe ſalutis, ſive cultu divino, ſive officio caritaris, ſive adminiſtratione ſacramentorum, ſive gubernatione Eccleſiæ exercendam, nihil confert, omittantur, vel tamquam indifferentes in medio relinquantur; ad populum autem temerè numquam proferantur. Digna ſunt quæ memorentur & conſiderentur verba Conſtantini Magni in epiſtolâ ad Alexandrum & Arium ſub initium certaminis eorum, (quod tamen nondum, quantâ de re eſſet, adſequebatur) transmiſſâ. *Tales quæſtiones, quales nulla lex præſcribit aut exigit, ſed per infructuoſum ocium orta inanis contentio* ἀνωφελὴς ζήτησις ἔρεθισμα *excitat, etiamſi ad ingenium exercendum inſtituantur, tamen interiore mentis receſſu continere debemus, & neq; in publicos populi conventus temerè efferre, neq; vulgi auribus inconſultò credere. Quotus enim quisq; eſt qui rerum tam gravium, tantaq; obſcuritate involutarum vim vel ſatis accuratè pervidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quòd ſi quisquam ſit, qui hoc ſe præſta-* Apud Euſeb. l. 2. de vitâ Conſt. c. 67.

præstare posse confidat, quota quæso est illa multitudinis pars, apud quam possit efficere, ut idipsum ea intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosâ quæstionum ejusmodi pervestigatione extra erroris periculum constituatur? De talibus itaq; multiloquium est coërcendum, ne vel si nos per nostram imbecillitatem, quod quæritur, exponere non valeamus, vel si auditores per tarditatem intellectus sui, quod sermone nostro expositum fuit, exactè capere nequeant, ex alterutro populus aut in blasphemi erroris, aut schismatis necessitatem incidat.

XIII. Quæ verò ita comparata sunt, ut populum non planè ignorare ex usu sit, quod de populo dissentientibus vicino vel immixto, quomodo multis in locis se res habet, affirmari potissimùm poterit; ibi errores eâ dexteritate refutentur, ut erga errantes commiseratio potiùs subeat, quàm excitentur odia & inimicitiæ. *Illi in vos sœviant,* ait Augustinus Manichæos, at quales hæreticos! compellans, *qui nesciunt, cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè caveantur errores.* Contra ep. fund. c. 2.

XIV. Sufficiat consensus circa τὸ *Quod si* mysteriorum, etiamsi τὸ *Quomodo* non possimus penetrare. De Filio Dei rectè Ambrosius libro primo de fide ad Gratianum, cap. V: *Licet scire quòd natus sit; non licet discutere, quemadmodum natus sit.* Et Gregorius Nazianzeuus oratione tertiâ de Theologiâ, quæ est prima de Filio: *Θεῦ γένεσις σιωπῇ τιμάσθω. μέγα σοὶ τὸ μαθεῖν ὅτι γεγένηται· τὸ δὲ πῶς, οὐδὲ ἀγγέλοις μὴ ὅτι γε σοὶ ἐνοεῖν συγχωρόσωμεν. Dei generatio silentio honoretur. Magnum tibi sit scire, quod sit genitus. Quod autem modo, id ne angelos quidem, nedum te, intelligere concesserimus.* Cyrillus Jerosolymitanus catechesi illuminatorum XI: *ὅτι θεὸς υἱὸν ἔχει, τοῦτο πίστευε. τὸ δὲ πῶς μὴ πολυπραγμόνει. ζητῶν γὰρ οὐχ εὑρήσεις. Quod Deus Filium*

 habeat

habeat, crede: quomodo autem, ne sis curiosus. Quamvis enim quæras, non invenies. Et Cyrillus alter, Alexandrinus videlicet, tractans de sanctâ Eucharistiâ ad sextum caput Johannis, & verba Judæorum, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare manducandam?* Δεῖ ἐν ταῖς ὑφαλήψεσι τῶν θείων μυστηρίων πίστιν ὡς ἔχειν ἀζήτητον μηδενὶ δὲ τῶν λεγομένων ἐπιφέρειν τὸ πῶς. Ἰουδαϊκὸν γὰρ τὸ ῥῆμα, καὶ κολάσεως τῆς ἐσχάτης ἀφ' ὧν τοῦτο προφέρεται. *Oportet nos in susceptione divinorum mysteriorum fidem habere curiositatis expertem, nec iis quæ adferuntur subjicere illud QUO MODO. Judaicum enim est vocabulum, & extremi proinde causa supplicii.* Et mox: *Illud QUO MODO de iis, quæ Deus operatur, usurpare caveamus, sed potiùs studeamus ipsi committere, quòd operum suorum viam* sive rationem *exactè perspectam habeat.* Bene Augustinus epistolâ CII: *Non est metuendum, si nunc ad liquidum, quæ de Dei naturâ credimus, conspicere non valemus, ne inde sit dictum, Qui ignorat, ignorabitur*, I. Cor. XIV, 38. Congruè ad hoc ipsum infimæ ætatis scriptor Thomas Kempensis de imitatione Christi libro I, cap. III: *Quid prodest magna cavillatio de occultis & obscuris rebus, de quibus non arguemur in judicio, quia ignoravimus?* Posteriorum, quin & nostræ ætatis homines circa res divinas & earum QUOMODO videntur voluisse ingenium magis exserere sive magis ingenioſi apparere quàm aut par aut opus esset; & de iis plura & abstrusiora scrutari, nosse & proferre, quàm primi optimique Christiani, qui simplicitati acquieverunt. Hinc aliqua & quidem notabilis dissensionum scaturigo.

Lib. 4. in Johan. ad c. 6. v. 15.

XV. Sufficiat si sit consensus circa dogmata communibus & cuique notis vocabulis proposita, etiamsi quando termini philosophici vel in Metaphysicis exponi soliti adhibentur, non usquequaque conveniat.

XVI. Ut

XVI. Ut etiam, quando hi adhibentur, convenire possit, usurpentur sensu, quem jamdudum & ab aliquot seculis obtinuerunt, nec iis novus aut inusitatus tribuatur; nec abrogatâ veteri adsciscatur nova aliqua philosophia. Mutata enim philosophia invehit quoque mutationem in Theologiam, ubi scholasticè tractanda venit.

XVII. Sufficiat si nemo sit, qui opiniones duriores & incommodas docere vel defendere pergat. Pristini earum patroni, viri sæpe præclari & benemeriti, sed aliquando humani aliquid passi, sine ulterioribus insectationibus & condemnationibus quiescere permittantur.

XIIX. Nemini quidquam affingatur: nec verba, quæ sano sensu accipi vel possunt, vel debent, in pravum violentâ & alienâ à mente auctorum interpretatione torqueantur. Unaquæque etiam pars, quod sentit, perspicuè & sine ambiguitate proponat. Videntur fuisse superiore seculo viri nonnulli concordiæ cupidissimi, qui ut partes conciliarent, usi fuerunt verbis, quæ in suum sensum utraque posset trahere, & pro se interpretari: hac ratione concordiam iniri posse persvasi. Sed eventus vertit in contrarium & docuit, longè rectiùs esse animi sententiam ab amphiboliis immunem proferre.

XIX. Sententiæ autem Ecclesiarum, de quibus agitur, promantur & æstimentur non tam è particularibus earum doctoribus, quàm publicis confessionibus.

XX. Quæ Ecclesia affirmat, quod aliæ negant, & propter quod negatum eas communioue suâ indignas judicat; illa idipsum probare debet.

XXI. Probandum autem erit primò & principaliter ex Sacrâ canonicâ Scripturâ: in quâ quidquid continetur

netur & fundatur, apud Chriaſtianos extra controverſiam poſitum eſt. Quoniam verò hæc ipſa teſtimonium perhibet Eccleſiæ, quòd ſit *columna & firmamentum veritatis*, præcipuè verò primitivæ, diras ab ethnicâ Româ perſequutiones paſſæ, quòd fuerit Eccleſia *ſanctorum & martyrum Jeſu*; conſequenter ex unanimi conſenſu primæ & priſcæ Eccleſiæ idipſum, quod controverſum eſt, præſertim ubi res inter eruditos agitur, probandum venit.

1. Tim 3, 17.

Apoc. 17, 6.

XXII. Si quod affirmatur, non proponitur ut neceſſarium ad ſalutem, nec ut cauſſa ſciſſionis vel denegatæ communionis, haut opus erit de eo magnopere angi. Sin ut tale, neceſſe fuerit demonſtrari, non modò quod verum ſit, ſed etiam quod tale verum, & quòd tale ſemper habitum & agnitum. Quid autem ut tale habuerit & agnoverit priſca Eccleſia, innoteſcit ex eis, quæ adultos, priusquam baptizarentur, diſcere & edoctos profiteri juſſit. Quos enim baptizabat, non alio loco, quàm verè Chriſtianorum & fidelium habebat, & mox uſu ſanctæ Euchariſtiæ dignabatur. Nec ab eis aliud in poſterum requirebat, niſi ut in eâ, quam profeſſi eſſent, fide conſtantes, cœtuique fidelium conjuncti piè & inculpatè viverent. Docebantur autem & profitebantur ſummam fidei Symbolo, quod Apoſtolicum hodie vocatur, comprehenſam. Atque ita, quemadmodum de catechumenis ad martyrium abreptis Jubajano ſcribit Cyprianus *integram fidem & Eccleſiæ unitatem tenebant, & ad debellandum diabolum de divinis caſtris cum plenâ & ſincerâ Dei Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti cognitione procedebant.* Acceſſerunt deinceps ſymbola alia ad explanationem Apoſtolici facientia: & juxta quæ idipſum capiendum, ſi doctiores & doctores

Epiſt. 73. num. 39.

doctores ultra ſimplicitatem ad accuratiorem diſquiſitionem progredi neceſsitas aliqua vel hæreticorum importunitas exigat. Acceſſerunt etiam doctorum ſcripta, de dogmatibus, quibus Eccleſia ejus temporis niteretur, teſtimonium perhibentia. Conſenſu itaque priſcæ eccleſiæ ex ſymbolis & ſcriptis manifeſto doctrina Chriſtiana recte confirmatur. Intelligimus autem doctrinam fundamentalem & neceſſariam, non quaſvis annates appendices & quæſtiones, aut etiam quorumdam Scripturæ locorum interpretationes. De talibus enim unanimis & univerſalis conſenſus non poterit erui vel proferri. Et magis apud plerosque ſpectandum eſt, quid tamquam communem Eccleſiæ ſententiam proponant, quàm quomodo eam confirment aut demonſtrent.

XXIII. Conſenſus quorundam doctorum, præſertim eximiorum, quamvis adſertionem non faciat eſſe indubitatò veram, exiſtimationem tamen aliquam probabilitatis conciliare natus eſt: quorundam, inquam, magnæ auctoritatis nec infimæ paucitatis doctorum conſenſus, nullo tamen vel Scripturæ teſtimonio, vel ſymbolorum & confeſſionum univerſaliter receptarum ſuffragio ſuffultus. Quod autem ſeorſim ab uno itidem eximio, verbi gratiâ, Athanaſio vel Auguſtino adſeritur, multò minùs hoc ipſo verum eſſe evincitur: hæreſeos tamen & impietatis haut facilè condemnabitur.

XXIV. Niſi forte vel Scriptura vel Antiquæ confeſſiones ſimpliciter, de quo quæritur, adſerant, ut de ſenſu verborum dubitari nequeat; ex ipſis illis deducendæ erunt concluſiones, quæ ſententiis diſſidentium vel adverſan-

verſantium contradicant. Quo evidentiùs deducentur, eo quoque evidentiùs eluceſcet concluſionum veritas. Evidentiæ autem conſequentiarum dilucidè ob oculos ponendæ inſerviunt ſyllogiſmi explicitè & in formâ, quam vocant, propoſiti: & ad hunc finem, nempe ut evidenter conſtet, num ex præmisſis concluſio ſequatur nec ne, divinitus & ab ipsâ naturâ deſtinati ſunt ſyllogismi, quales diximus. Declamationes & prolixi ſermones plerumque rem involvunt, & evidentiam conſequentiarum incertam relinquunt. At fieri nullo modo poteſt, ut in formâ legitimâ ex præmisſis nec falſis nec ambiguis deducatur falſa concluſio. Quum igitur omnium noſtrûm tantopere interſit, ut tandem liquidò innoteſcat, num ſententiæ, de quibus controverſiæ eo usque excreverunt, ut ſchiſmati cauſſam vel fomentum præbeant, ex Scripturâ & unanimi priſcæ eccleſiæ conſenſu deduci poſſint, an non; hoc ipſo medio divinitus conceſſo, probationibus, inquam, non niſi in formâ, ſicut loquimur, propoſitis & reſponſionibus ad eumdem modum comparatis utendum erit.

XXV. Nullis laboribus, nullis ſumtibus, utut diuturnis & magnis parcitur, ut qualiscunque pax civilis reducatur. Cur verò tantumdem reducendæ concordiæ eccleſiaſticæ, vel ſaltem minuendis diſſidiis, quæ civilem pacem tutam eſſe vix permittunt, Chriſtianiſmum deformant, & ab eo acceſſuros deterrent, non impenditur? Quin ſine magno ſumtu negocium maximum tractari poterit, ſi ſcriptis res agatur ad eum modum, cujus ſub finem proœmii diſſertationem de Igne purgatorio indicium factum eſt.

XXVI. Hæc non ſunt decreta vel edicta, ſed ſunt conſilia


consilia, (Germani unfürgreiffliche Vorschlege fortè dixerint) profecta ab animo disidia & odia detestante, & concordiæ flagranter cupido. Si ab aliis proferri queant rectiora, & fini consequndo aptiora, illa præ nostris obtineant. Utinam verò apud omnes præponderet nullus propriæ gloriolæ (quamquam errori agnito valedicere ingens gloria est, non opprobrium) sed amor & conatus divinæ gloriæ amplificandæ, & humanæ salutis procurandæ; & dilectio omnibus illis debita, qui *invocant Christum ex mundo corde*, sive qui eum verum & unum cum Patre & Sancto spiritu Deum, verumque hominem, suumque redemtorem & salvatorem esse agnoscunt, & inculpatè vivunt, sicut eam fidem professos vivere oportet. 2. Tim 2. 22.

XXVII. Qui tale desiderium & tale studium syncretismi & samaritanismi & atheismi condemnant, hoc ipso, quàm longè adsint à caritate Christianâ, & quòd tranquillitatem publicam tum ecclesiasticam tum civilem aversentur potiùs quàm desiderent, palàm produnt & orbi testatum relinquunt. Lubet concludere verbis, quibus in Colloquio Mompelgartensi usus fuit D. Jacobus Andneæ, priusquam ego nasceret: *Speramus nos piis precibus vel tandem consequuturos, ut Jancta, Deo grata, & Ecclesiis salutaris concordia constituatur. Quod faxit, & largiatur Deus æternus, Pater Domini nostri Jesu Christi, per Spiritum sanctum, Amen.* An. 1586. 26. Mart.

HIERONYMUS dialogo adversus Luciferianos. *Si Ecclesiam per totam orbem deffusam non habet Christus, aut si in Sardianâ tantùm habet, nimis pauper factus est.*

FINIS.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [215] - 87
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [216] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [217] - -
PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 339

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [218] - -

PUBLIC DOMAIN

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

I 1084

~~I 1019 (r) de conjugio~~

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [219] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 189, [220] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 189, [221] - -